ILLUSTRISSIMO, PIENTISSIMO, AUGUSTISSIMOQUE PRINCIPI ... AUGUSTO DUCI...

Zacharias Schilter, Johannes Albinus



ILLVSTRISSIMO,
PIENTISSIMO, AVGVSTISSIMOQVE
PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

AVGVSTO,

DVCI SAXONIÆ, SACRI ROMANI Imperij Archimarſchallo, & creandis Imperatoribus Romanis Septemuiro, Landgrauio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, & Burggrauio Magdeburgenſi, die XI. Februarij piè placideq; in CHRISTO defuncto, Patri patriæ, & Domino ſuo, dum vixit, clementiſſimo,

DECLARANDAE PIAE GRATISSIMAEQVE VIRTVTVM HEROICARVM, MEritorumq; ſanctorum illius memoriæ cauſa, non ſine luctus acerbi & deſiderij ardentis teſtificatione publica

PARENTATIO

Facta ab inclita Academia Lipſienſi, in celebribus conuentibus, in æde Paulina, eius rei nomine indictis, & quidem orationibus duabus,

QVARVM ALTERA HABITA FVIT à ZACHARIA SCHILTERO, S. Theologiæ D. & Profeſſore, eiuſdemq; Academiæ Procancellario, die eiuſdem menſis Febr. XX. actioni huic religioſæ peculiariter conſecrato,

ALTERA VERÒ à M. IOHANNE ALBINO, POETICES ibidem Profeſſore, die Martij III. in ſolenni eiuſdem Academiæ congregatione, circa æquinoctium vernum vſitata.

Adiuncta publicum ad luctum cohortatione, additisq; verſibus quibuſdam Epitaphijs.

Anno à nato CHRISTO ſupra ſeſquimilleſimum LXXXVI.


V.G.G.AVGVSTVS HERTZOG.ZV SACHSEN.VND CHVRFVRST.ETC.

ORATIO D. ZACHARIAE SCHILTERI, PROCANCELLARII.

SI CVIVSQVAM VNquam heroici Principis funus, Magnifice domine Rector, illustrißimi generosissimiq; Principes, Reuerendi, nobilißimi, amplissimi, clarißimi, prudentißimi, spectatißimi, præstantißimiq; cuiuscunq; dignitatis & ordinis viri, vosq; generis nobilitate clari, & pietatis optimarumq; artium studiosi iuuenes, si cuiusquam, inquam, heroici Principis funus magni doloris & luctus nobis causa fuit vnquam, si acerbis lachrymis à nobis condecoratum, certè illustrißimi Principis Septemuiri AVGVSTI, &c. Domini nostri, dum in humanis esset, clementißimi, obitus acerbißimus luctuosissimusq; nobis, cum lachrymarum vi maxima, tum cæteris mœroris symbolis & testimonijs omnibus cohonestandus est, non patriæ modo & Ecclesiæ, sed vniuersæ Germaniæ, imò toti imperio grauis & funestus. Etenim propter horrendam ingratitudinem & profanitatem nostram, exardescente aduersus nos iustißima ira Dei, amisit misera patria nostra Parentem suum, principem omni decore præclarißimarum animi dotium à Spiritu sancto cumulatum, rerum verò gestarum & meritorum in Rempublicam Christianam amplitudine admirabili, omnium laude, prædicatione, literis, monimentisq; decoranda, cum summis heroibus Christianis, & quidem cum

antiquissimis quasi certantem, amisit vera religio assertorem constantem, Ecclesia ἐ φανιστὴν καὶ ὑπερασπιστὴν in terris fidelem, potentem & hostibus formidabilem, imperium Romanum fulcrum per quam firmum & robustum, Germania præsidium, murum & propugnaculum validissimum, deniq; orbis Christianus decus & ornamentum, supra conditionem humanam diuinitus propemodum elatum atq; euectum, & ad omnem posteritatem celebre futurum.

Et quidem quis vnquam maiore hominum existimatione vixit? Quis ad res magnas gerendas natura, virtute, pietate, Dei gratia & auxilio, magis vnquam instructus & quasi armatus fuit in his regionibus? O nos miseros, & plus, quam dici aut cogitari possit, infelices, tanto heroe orbatos, verè Augusto, imo Augustissimo, quo nihil augustius, non dixerim, nostra tantum, sed aliquot prisca etiam secula viderunt. O iacturam patriæ, Ecclesiæ, Germaniæ, & toti jmperio vllis vix vnquam seculis reparandam. O miserabilem patriæ mortem, ô acerbam Germaniæ cladem, ô lugendam jmperij desertionem, ô tristem Ecclesiæ orbitatem. Cui te conferam, virgo filia Sion? cui te comparabo Germania? cui te assimilabo Romanum imperium? Magna est, velùt mare terram inundans, calamitas vestra, quis vos sanaret? defecit gaudium cordis vestri, versus est in luctum chorus vester, cecidit corona capitis vestri, væ vobis quia peccastis, vt Ieremiæ verbis vtamur. Quibus de, quoties animum subit cogitatio, quis adeo inhumanus? quis adeò ferreus? quis adeo saxeus? Principes illustrissimi, Patres amplissimi, qui non

totus

totus in lacrymas quasi resoluatur? Dici autem non potest, quantopere crescat dolor,& augeatur consternatio animorũ,cogitatione suscepta de maxima rerum omnium ad interitum inclinantium hoc tristi seculo perturbatione, tempestate horrenda, & discrimine extremo, in quod obitus ille admodum intempestiuus incidit, quo certissimum est, collatione facta, ab ipso primo jmperij Electoratu, vix vllum vnquam fuisse seculum certioris πανωλεθρίας vniuersæ non saltem patriæ,sed Germaniæ, & in hac inprimis Ecclesiæ impendentis prænuncium.

Accedit ad hæc, publici mali quasi facies quædam & forma externa, plena horroris ingentis, vultus nimirum cuiusq; vestrûm deiectus & mœrore turbatus, habitus lugubris, genæ pijs lachrymis madentes, manus desperantium ferè modo complicatæ, oculi desiderio Electoris in cœlum sublati, versatur ob oculos meos luctus ac mœroris acerbissimi index, habitus totius templi ater & pullatus,ipsi deniq; parietes mortem Augusti deplorare gestientes, personant aures meæ planctu, eiulatu, singultibus, gemitibus & suspirijs, imo, exulceratoq; de pectore deductis: videor mihi videre illustrissimum Electorem Christianum,ægritudine animi decumbentem, sedem Electoralem luctu prostratam, veluti cœlo tactam, Curiam illustrissimam mutam & obscuram, mœrore languentes illustrissimas illustresq; Aulas passim vniuersas,imò perturbatã consternatamq; Aulã sacræ Maiestatis imperatoriæ,ordinem equestrem, generosa nobilitate præstantem, totum in luctum immersum & dolore velut senio confectum, municipia passim omnia, colonias, ca-

ella & vicos, deniq; familias honestas omnes luctu
qualentes. Audire mihi videor querelas & lamen-
ationes maximè miserabiles totius Germaniæ et im.
erij Romani, inprimis Ecclesiæ, totius illustrissimæ
amiliæ Electoris, maximè inclytæ Viduæ mœstissi-
næ, imò generosissimæ domus Saxonicæ vniuersæ,
nà cum celebribus Academijs viduitatem, orbi-
atem & desolationem suam dolentisimè deplo-
antium.

Quæ etsi omnia sentio, illustrissimi Principes,
iri amplissimi & ornatissimi, quàm duram & diffi-
ilem mihi reddant per se arduam parentandi iu-
taq; persoluẽdi celeberrimo, sacratissimæ memoriæ,
lectori prouinciam, grata nimirum prædicatione
lohorum illius, meritorumq; admirabilium, perpe-
uaq; memoria dignissimorũ, vnà cum remediorum
ristitiæ acerbitatem vtcunq; minuentium, in me-
noriam reuocatione, cùm par virtutibus immorta-
ibus rerumq; gestarum magnitudini & splendori,
licendi facultas, in tanta præsertim temporis an-
gustia, nequaquam mihi sit parata, & qui alijs lenire
lolorem iussus sum, ipse tam tristi casu, tamque lu-
gubri spectaculo ita perturber, animoq; angar, vt ne-
que mens, neque lingua satis officio, huiusq; loci
elebritati facere possit: Quia tamen non latere vos
ertò scio, eandem prouinciam autoritate publica
nihi demandatam suscepisse m̃e, non quidem pro
lignitate obeundi eandem fiducia, sed obsequendi
necessitate & pudore recusandi, coniuncto, cum de-
bito subiectionis ac reuerentiæ erga illustrissimam
Aulam, ac pietatis erga beatos manes Patris patriæ
tudio : rursus bona me oneris parte leuatum sen-
tio,

tio,meq; ſpe indubitata erigo & ſuſtento, licet non perfectionem, non expreſſam imaginem, non exornationem, tamen admirationem & delineationem, vel adumbrationem qualemcunq; ſaltem rerum maximarum, præconioq; digniſsimarum, pro temporis breuitate informatam, vnà cum ſubiectionibus breuiſsimis conſolationum præcipuarum vos, pro illuſtriſsima clementia, beneuolentia & fauore erga me ſingulari, æqui boniq; conſulturos, quod vt faciatis, à Magnificentia & illuſtriſsima Celſitudine veſtra, humilima animi ſubiectione, à cæteris vniuerſis & ſingulis, qua par eſt reuerentia & ſtudio peto atque contendo.

Sed quò me vertam? quid primum vel dicam, vel prætererio? Si ſecundum laudandi præcepta, de natiuitate AVGVSTI, quæ felici pacatæ gubernationis omine, in annum, turbas ruſticorum compoſitas proxime ſecutum, XXVI videlicet, diem Iulij vltimum incidit, Si de eiusdem indole plane heroica & diuina, ſi de educatione & adoleſcentia principe digniſsima, ſi de parentibus, principe Henrico patre, duce Saxoniæ, pacis belliq; laudibus clariſsimo, matre vero Catharina, ex illuſtri familia ducum Megapolenſium nata, ſi de auo Alberto, κατ' ἐξοχὴν animoſo dicto, ſi de proauo Friderico Secundo, Electore, attributo placido ſeu pacifico, ſi de abauo Friderico Bellicoſo, primo ob res præclare geſtas ex Marchionibus Miſnenſibus, ab imperatore Sigiſmundo auguſta dignitate Electoratus Saxoniæ ornato, huius Academiæ fundatore celeberrimo, ſi de fratre Mauritio, heroe generoſiſsimo, & nunquam ſatis laudato, at quantis prin-

tis prin-

tis principibus, præſertim Electoribus? ſi de ipſa dignitate Electorali, regia maieſtate nihilo inferiore, vnanimi totius imperij conſenſu in AVGVSTVM translata, ſi de vtraque coniuge, vna ANNA, ex ſereniſsima familia regum Daniæ, cui ante paucos menſes ex hoc ipſo loco parentari meminiſtis: altera Agnete Heduuige, ex veteri maximeq́; illuſtri Principum Aſcaniæ ſtirpe, patre illuſtriſsimo principe ac domino, Domino Ioachimo Erneſto, &c. oriunda: ſi de liberorum εὐπαιδευσία & felicitate: ſi de illuſtrium generorum, nurus & familiarum inclitarum affinitatis illuſtriſsimæ vinculo copulatarum ſplendore & excelſitate, deniq; ſi ex omnibus tribus, tanquam riuis bonorum, animi ſcilicet, corporis, καὶ τῶν ἐκτὸς, ex ſacro illo auguſtoq́; omnium bonorum fonte Deo, in illuſtriſsimum Electorem deriuatis, pauca ſaltem commemorando velut delibarem: Quantum, Deum immortalem, orationis flumen inde eſſet quaſi erupturum, temporis præſcriptum, non ſine magno tædio faſtidioq́; veſtro, longiſsimè excurſurum. Omiſſa igitur in præſentia tam longè lateq́;, ſecundum præcepta artium patente laudum amplitudine πανηγυρικῇ, tædij nimirum minuendi cauſa, quemadmodum qui in amænis pratis aut hortis flores legunt, pulcerrimos quoſq; decerpunt, cæteris prætéritis, & apiculæ non omnibus floſculis ſine diſcrimine inſident, neque quibus inſident, eos totos auferunt, ſed fragrantiſſimis quibusq́; ſaltem, ex ijsdem optima quæque exugentes, reliquo valere iuſſo: ita anguſto temporis ſpacio excluſus, ne vltra præſtitutum tempus noſtra excurrat oratio, infinito ſummorum Diui

Auguſti

Augusti ornamentorum, non tantum heroico principe, sed rege etiam & imperatore dignissimorum memorabili cumulo, certo consilio delectam, insignem saltem pietatem, excellentem prudentiam egregiam iusticiam, clementia temperatam, illustrem animi excelsitatem in periculis, cum pacis & tranquillitatis publicæ studio, curaq; salutis communis, plusquam paterna coniunctam, deniq; in pauperes beneficentiam, tanquam summa propriarum & peculiarium nostri Electoris laudum capita breuiter attingam, summa saltem eorum fastigia oratione persecuturus.

Eminet autem non aliter atque in horto vernante, inter flosculos colore odoreq; grato alijs præstantes, in vita Diui Augusti virtutum ornamentis & decore quàm maximè referta & conspicua, pietas, initium veræ sapientiæ, secundum sapientem Hebræum, & omnis felicitatis humanæ fertilis quasi seges quædam & seminarium, declarata, partim religioso assensu verbi diuini, in quo constanter acquieuit, reuerenter se ei subjiciendo, eoq; velut norma omnia sua consilia & actiones gubernando, inprimis ex hoc extructam Confessionem Augustanam, Carolo V Imperatori exhibitam, summam scilicet & nucleum totius doctrinæ cœlestis, vero iudicio, firmoq; assensu amplectendo, partim amore ardenti, cultuque pio reuerendi ministerij, quem præter alia innumerabilia beneficia in hoc collata, quotidiana publicorum conuentuum sacrorum frequentatione, crebroq; vsu sacræ συνάξεως testatum fecit, & coniunctione cum his precum ad DEVM pro se, pro tota Ecclesia, pro Pa- Pietas.

B tria

ria,pro Germania, imò totius ſacri Imperij Romani ſalute ardentiſsimarum.

Luxit eadem quoque pietas in ſtatis & quaſi Canonicis horis, aſtrictis domeſticis, cum ſuis religioſæ inuocationis attentæq; lectionis, cum librorum ſacrorum, maximè Pſalmorum, tum piarum explicationum exercitijs, inprimis electi organi DEI reuerendi Patris Lutheri, cuius non modo monumenta euoluta illi fuerunt omnia, inprimis ſacrorum Bibliorum, luculenta non tam translatio dicenda, quàm interpretatio ſeu explicatio Germanica, graui & pietatis inſignis pleno iudicio, non illuſtriſſimæ modo familiæ, ſed etiam verbi miniſtris, imò toti Eccleſiæ maiorem in modum ſæpiſſimè ab eo commendata, ſed ſingulari cura & ſtudio deſcriptæ etiam eidem Pientiſſimo Electori fuerunt, repetitionis ſcilicet frequentioris & expeditioris cauſa, magno iudicio, pioq; conſilio ſelectæ ex magnis voluminibus Lutheri præcipuæ, doctrinæq; vel conſolationis maximè plenæ materiæ ſeu tractatus, malè valere iuſſis curioſis & inutilibus diſputationibus, quibus alios, neglecta vera pietate, ingenij acrimoniam oſtentare videbat, quibus cum hiſtoriarum vel controuerſijs religionis dijudicandis, vel gubernationi vtilium lectionem crebram accuratamq; coniungebat.

Magna laude ornatur Scipio Aphricanus, quod libros Xenophontis περὶ παιδείας Κύρου, effigiem iuſti Imperij continentes, ſemper in manibus habuerit: Ageſilaus ſapientiſſimus Spartanorum Rex, quod nunquam cubitum ire, nunquam manè in lucem hominum prodire, aut aliud quid agere ſolitus ſit, quin

quin prius in poëmatibus Homericis aliquid lectitaret, & quotiescunque à negocijs vacaret, statim ad Homerum properauerit, affirmans se ad amasium suum ire: Denique Alexander ille magnus, quòd lectione Iliados Homericæ maximopere delectatus fuerit. At quanto maiori præconio dignus noster Elector, quam illi, qui epistolam DEI, ad Ecclesiam scriptam, sacra Biblia, crebra manu versando, aliquoties euoluit, ita vt verè illi religio esset, ante horum lectionem, quicquam officiorum vocationis tractare?

Quàm porro euidens, quàm locuples veræ pietatis Electoralis vobis videtur testimonium, generosissimorum liberorum institutio & gubernatio domestica, tam accurata, tam grauis, tam religiosa, quos illustrissimus Elector non modò in doctrina & disciplina Domini, inde à teneris annis vsq; rectè institui curauit, sed ipse etiā quotidianis, ijsq; maximè illustribus exēplis veræ pietatis, & virtutis DEO placentis amore & studio, velut face adhibita, accendit & inflammauit, quibus ad æmulationem excitandam, nihil acrius, nihil efficacius.

Quid? quod non tantum ipse cum suis socius fuit congregationis sanctæ, cum populo Abrahæ, sed etiam in eam curam omni mente, omniq; animo incubuit, huc omnia sua consilia dies noctesq; retulit, vt pura incorruptaq; vox doctrinæ cœlestis, in regionum sibi subiectarum Ecclesijs & Scholis, cura paternæ, fraternæq; pietatis repurgatis & præclare constitutis non modo conseruaretur ipso viuo, contra omnes insidias & molitiones nefarias, & manifestam vim ac rabiem Antichristi Romani, sed

etiam velut maximi precij κειμήλιον & thesaurus à patre fratreque hæreditario iure acceptus, ad posteros transmitteretur incorruptus & inuiolatus. Hic si non dicam habitare, quod dicitur, sed commorari & hærere saltem aliquantisper dicendo mihi liceret, quàm longa, bone Deus, series mihi repetenda esset, toties, proh dolor, tamq; astutis consilijs à desertoribus congregationis nostræ, non aperto Marte, sed per cuniculos telis ignitis oppugnatæ veritatis immotæ confessionis Augustanæ, imò horribiliter deprauatæ, maximè in doctrina de sacrosancto testamento Christi, clam sparsis in piè ac laudabiliter constitutis harum regionum Ecclesijs & Scholis, seminibus veteris erroris Berengarij, à Cinglio & Caluino in Christi Ecclesiam reuocati, & quasi igniculis, vt Poëta Satyricus fecit, initio cineri doloso suppositis, postea verò excitatis, & ad magnum incendium ac horrendam vastationem plantatorum in his regionibus hortulorũ amænissimorum, comparatis. Si porrò ordine mihi commemorandæ essent tot sedandi & restinguendi incendij huius, & ab omni fermento perniciosorum errorum expurgandæ, tuendæ, illustrandæ, & ad posteros propagandæ causa, acceptæ primum à patre, & à fratre custoditæ, ac velut per manus sibi traditæ, puritatis & sinceritatis doctrinæ cœlestis, non modo de testamento Christi, sed etiam de cæteris confessionis Augustanæ articulis, de quibus dissidia admodum acerba post bellum Germanicum, occasione Sphyngis Augustanæ, quam INTERIM vocarunt, instar μήλου ἔριδος Ecclesijs emendatis obiectæ, exorta, & quàm diutissimè acerrimeq; agitata

agitata fuerunt, quæ, ne errores altius radices agerent, neue factiones in immensum crescerent, pio & graui Theologorum iudicio constitutæ, & præcipuorum principum ac ordinum imperij consensu receptæ & comprobatæ, piæ & salutaris ὁμονοίας formulæ occasionem præbuerunt: Denique si iusto ordine commemorandæ essent ab illustrissimo Electore, purioris doctrinæ custode fidelissimo, & vindice acerrimo, sacratissimæ memoriæ, tot de religione institutæ consultationes publicæ, tot conuocatæ Synodi, tot editæ confessiones, non sine magnis sumptibus, studio, cura & solicitudine prorsus paterna, tot insomnes noctes traductæ, tot exantlati labores, tot deuoratæ molestiæ grauissimæ, quæ Principem alium, quantumuis magnanimum & laboris patientem, absterrere potuissent, Quàm quæso luce meridiana clarius vobis futurum esset, Sanctum Electorē ex his tantis fluctibus & procellis certaminum eluctatum, ex tot simulationum dissimulationumq; insidijs, & inuolucris mirificis sese expediuisse, non politica fretum prudentia aut fortitudine, sed à Spiritu prudentiæ, timoris DEI & roboris mentem illius illuminatam, cor gubernatum, voluntatem confirmatam, conscientiam conuictam, & immotis Scripturæ testimonijs de Confessionis Augustanæ veritate, quò minus patrocinium illius abijceret, velut laqueis inextricabilibus constrictam, denique Electorem totum heroico Zelo tuendæ veritatis incorruptæ, accensum & inflammatum, patre fratreq; illustrissimis, hoc nomine nihilo inferiorem, imò ad similitudinem & imaginem Sanctorum celeberrimorumq; quorumcunque religionis & Ec-

clesiæ, tam veteris quam noui Testamenti, instauratorum & propugnatorum, præsertim Iosiæ & Constantini Magni, quàm proximè accedentem, Quam vtinam non adumbrare saltem, sed viuis coloribus iustæ luculentæque orationis exprimere, & oculis omnium coràm spectandam proponere, & exhibere mihi liceret. Quotus autem quisq; est, qui heroicum hoc ardentis Zeli purioris doctrinæ & Ecclesiæ, pro modo vocationis tuendæ, exemplum, simili πληροφορία & robore fidei, feruore Spiritus, amore veritatis incorruptæ ardenti, errorum & Sophistices odio ἀσπόνδῳ, imò cura, solicitudine, contentione & defatigatione animi, laborum molestiarumque tolerantia, in sedandis superandisque certaminum Ecclesiasticorum fluctibus, imitando exprimere studeat? Pudeat nos maximæ partis nostrûm in amplectenda, asserendaque puriore doctrina, in sustinendis vincendisq; hostilium insectationum & oppugnationum periculis, languoris, dubitationum, frigoris, mollicieí, securitatis, ἐποχῆς & fluctuationis pectorum nostrorum, pudeat hypocritas insidiosæ occultationis suæ, pioque pectore indignissimæ cum hostibus veritatis collusionis. Sed quò prouehor, quàm pro angustiæ temporis modulo longius? Deniq; quis adeò cœcus? quis adeò stupidus est? qui cætera non minus illustria ardoris religiosæ pietatis illustrissimi Electoris monimenta, in constitutione Rei Ecclesiasticæ & Scholasticæ, publicæ & priuatæ passim occurrentia, grata mente non agnoscat? vt quod toties Ecclesias á præcipuis nobilibus & Theologis tanquam Ephoris constitutis, inspici

& lu-

& lustrari, de pastorum profectibus & moribus grauem & seuéram censuram agi, bona alienata Ecclesijs restitui, certam etiam τάξιν ἱερατικὴν constitui, de ordine concionum, de rituum Ecclesiasticorum exercitijs, de Ministrorum vocatione, officio & stipendijs, de trium Synedriorum iurisdictione & administratione, de Synodorum celebratione, eamque pro temporum ratione toties in vsum Ecclesiarum corrigi & emendari, emendatamque confirmari curauit, confirmatam deniníque Ecclesijs tanto Zelo & editionis grauitate commendauit, quò magis parata esset pastoribus defensio, vno ex his iudicijs Eccesiasticis aulæ suæ coniuncto.

Quid dicam de illustrium ludorum, velut frugiferorum φυτευτηρίων Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ, liberali conseruatione, augmento, exornatione? Quid de vtriusque Academiæ tutela paterna, & constitutione tam doctrinæ, quàm disciplinæ, accurata deliberatione, & graui iudicio correcta, reformata, aucta, & illustrata? Quid de aucto accessione non parua in vtraq; Academia alumnorum illustrissimæ Munificentiæ numero? Quid de ædibus huius Collegij commodioris habitationis causa, refectis & instauratis? Quid de concionum, repetitionum, examinum, declamationũ, disputationũ & disciplinæ honestæ exercitijs recens institutis, ad augendam eruditionem, pietatis & virtutis culturam accommodatissimis? Quid de legibus, ad vtriusq; corporis scholastici incolumitatem diuturnam magna sapientia attemperatis? Quid de tam docentium, quàm discentiũ immunitatibus

& priui-

& priuilegijs confirmatis, ſtabilitis, auctis & amplificatis? Dies me citius, quàm argumentum deficeret, ſi ἐν παρόδῳ ſaltem orationem inſtituerem, de omnibus partibus velut ſplendidi & magnifici cuiusdam ædificij, communitatum Eccleſiaſticarum & Scholaſticarum, tam publicarum, quàm priuatarum, Chriſto duce & adiutore, à maioribus quidem commemorabili pietate & ſapientia velut extruendo incoati, à Mauritio vero, laudatiſſimæ memoriæ, ſtabiliti & confirmati, ab Auguſto denique, ſacræ memoriæ, cumulati, inſtaurati, corroborati, condecorati, amplificati, ac ad eximiam & illuſtrem hanc ſpeciem, qua multis alijs præfulget, redacti. Sed de ardente pietate D. Auguſti plus verborum à me nunc quidem fieri, neque neceſſe eſt, cum res ipſa in conſpectu ſit vniuerſorum, neq; temporis ad dicendum conceſſi ratio permittit.

Videamus igitur ad ſecundam tabulam pertinentium virtutum inſignia. Magna eminent virtutum heroicarum ornamenta in omnibus S. Imperij Principibus, præſertim Electoribus, tam viuis quam mortuis, D. Auguſti, dum in viuis eſſet, collegis illuſtriſſimis, magna eorum ſunt merita, quibus præclara debentur encomia. Sed quis inter eos repertus vnquam, aut nunc etiam reperitur, qui ſuam virtutem, ſuaq; merita laudatiſsimis D. Auguſti actionibus & meritis ſanctiſsimis præferat, aut maiorem, quàm quæ Auguſto debetur, laudis prædicationem expetat? & non potius, ſi pari cum eo ſibi gloria frui liceat, præclaré ſecum agi exiſtimet? Quanta enim, Deum immortalem, in hoc ſancto

Principe

Principe fuit ingenij acrimonia & ſolertia? Quanta in conſilijs capiendis celeritas, ſagacitas, prudentia? Quanta in explicatione & dijudicatione rerum perplexiſſimarum, obſcuriſsimarumq́; iudicij dexteritas? Quanta in bonis ſententijs tuendis, rectéq́; cogitatis conſilijs exequendis conſtantia? Quantus amor veritatis? Quanta fides in pactis? Quantus candor? Quanta ingenuitas? Ita vt verè ſibi eſſet, ὅμοιος διὰ πάντων, οὐδενὶ ἀλλοιωθεὶς, ὡς ἀληθῶς ἀγαθὸς ἀνὴρ, καὶ οὐδὲν ἔχων προσποίητον, quo elogio M. Antoninum ornat Suidas. Quanta comitas? Quanta animi moderatio? Omnia prius humanitate, quàm armis experta, fortitudinem conſilio magis, quã periculis oſtendens, & ſapiẽtiã re magis, quã verbo exercens, quemadmodũ Ageſilaũ commendat Xenophon, nihilq́; niſi communem Germaniæ ſpectans ſalutem, & Principum atque ordinum Imperij in vnitate ſpiritus, per vinculum pacis conſociationem & concordiam conſtantem? Quanta in rebus gerendis omnibus non modò ad ſubiectarum regionum, ſed etiam ad totius Imperij ſalutem pertinentibus ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω circumſpectio? Quanta ſolicitudo? Quanta vigilantia? Quanta in perferendis laboribus patientia? Quanta in explicandis dirimendisq́; in Senatu, Imperij controuerſijs difficilimis, & humano cõſilio penè inextricabilibus dexteritas, induſtria & felicitas? ita vt nihil penè vnquam, dum ille dignitatẽ Electoralem geſſit, magni momenti rerum in Imperio præclarè & laudabiliter geſtum ſit, in quo imperatoriæ Maieſtati, conſilium & operam illius requirenti, fidelem προστάτην καὶ συνεργὸν ſumma voluntate ſe non præbuerit,

C

buerit,

buerit, pares habens paucos, inferiores plurimos?

Nihil exaggero, sed potius toto pectore cohorresco, per tranſennam velut aſpiciens tantam molem curarum & occupationum, quæ in hunc vnum virum incubuit, non ſine admiratione ad ſtuporem vſque, tàm in conſulendo quàm agẽdo, dexteritatis & proſperitatis illius ſingularis, maximeq; cõmemorabilis.

Hinc ſcilicet extitit eximia & illuſtris illa non modo procerũ Imperij, præſertim Septemuirorum, ſed ſummorum etiam Imperatorum Caroli V, Ferdinandi, Maximiliani II. & Rudolphi, Domini noſtri clementiſſimi, erga Diuum AVGVSTVM beneuolentia, hinc amor erga illum ardens, hinc mutua, crebraque ſecretiſſimorum conſiliorum communicatio, hinc prudentiæ cæterarumque ſummarum virtutum, cum hac coniunctarum, in AVGVSTO admiratio, hinc tot exterorum Regum & Principum ad Auguſti conſilium, & interceſſionem apud Imperij Senatum tam cupidum & concitatum confugium, hinc eorundem in amicitiam illius certatim factæ inſinuationes, hinc omnium promtiſſima obſequia, hinc Auguſti obſeruantia, hinc reuerentia, hinc autoritas.

At nunc videor mihi exaudire lamentabiles plærorumque Imperij procerum & ordinum voces: Heu afflictam ſortem & conditionem noſtram, vtinam ſapientiſſimus fideliſſimusque hic Imperij Romani Conſiliarius, Neſtoreos annos ſuperſtes eſſet? minus certe periclitaretur Imperij ſalus, minus exultarent hoſtes noſtri.

O ſi in arduis ſaltẽ, maximeq; intricatis & perplexis negocijs, quandoq; conſiliũ nobis ab illo exquirere liceret,

liceret, à quo nihil nisi pium, prouidum, solers, sagax, limatum, argutum, nihil nisi sedatum, moderatum, pacificum deniq; proficisci solebat. O quam salutaria consilia ex hac veluti penu sapientiæ & consilij pij in maximis Imperij periculis capiebamus. Sed hæc de his sufficiant.

Videamus iusticiæ studium. Certissimum est autem, quò quietior & tranquillior, quò etiam diuturnior AVGVSTO heroi gubernatio, quam maiorum quibusdam, Dei munere & concessu contigit: eò plus illum curæ, vt in conseruatione purioris doctrinæ, qua de prius dictum est: ita in iustitiæ administratione legitima, & disciplinæ honestæ ac pacis publicæ custodia posuisse. Iusticia.

Et iusticiæ quidem, quam tersum politumq; speculum sunt laudatissimæ τάξεις, seu constitutiones politicæ, ad iusticiam & disciplinam in his regionibus conseruandam, singulari cura & studio accommodatæ?

Quam sunt eiusdem virtutis illustria quoque exempla, domicilia, officinæ & custodes fideles, ipsæ curiæ & δικαστήρια Electoralia? vt si illibatam inuiolatamq; iusticiæ, in iudicijs illustrissimæ aulæ dominantis, speciem accuratè intuearis, fateri cogaris, cum optimè præclarissimeq; constitutis aulis & curijs regum ac imperatorum eam certare, ne dicam non planè nullis antecellere.

Quam euidentia & perspicua sanctissimæ grauissimæq; iusticiæ & disciplinæ custodiæ testimonia, in illustribus exemplis seueræ animaduersionis, in

diſciplinæ & iuſticiæ violatores, & pacis ac tranquillitatis publicæ turbatores ab eodem ſanctiſsimo Principe ſtatutis, ante oculos noſtros fuerunt propoſita?

Cum autem veriſsimum ſit, iuſticiam ſine clementia & ἐπιεικείᾳ probabili crudelitatem eſſe, nequaquam diſsimulandum eſt, etſi heroicus Elector in decernendis & infligendis pœnis publicorum ſcandalorum autoribus, in coërcendis graſſatoribus, reprimendis latronibus & inſidiatoribus & id genus ἀλάστορσι, vt dictum eſt, nequaquam lentus aut remiſſus, ſed acer & ſeuerus iuſtitiæ diuinæ adminiſter, & iniuſtitiæ vltor extiterit, à corpore immedicabilia membra, ne pars ſincera traheretur, enſe recidendo: Semper tamen immodicam aſperitatem acerrimo odio eum proſecutum eſſe, verè πατέρα ὣς ἤπιον, ſecundum Homerum, nec impatientia perfidiæ aut iniuriarum quicquam vnquam, quod ſæpè impotentes animi faciunt, cum periculo patriæ coniunctum mouiſſe, quin potius notorias maximèq; atroces iniurias, conſeruandæ publicæ pacis cauſa, æquiſsimo ſæpè animo toleraſſe, nec niſi à facinoroſis, menſura ſcelerum probè impleta, & extrema neceſsitate poſtulante, ad vindictam proceſsiſſe, priuato dolori publicam ſalutem ſemper anteponendo, multo maiore animi æquitate & moderatione, quam olim Lælium, quem hoc nomine admiratur & celebrat ſapiens vetuſtas.

Clementia

Quantum verò in communi pace tuenda inclitus Heros præſtiterit, quid multis opus eſt? cum id non homines tantum vna voce teſtentur, ſed agri & campi ipſi verbis exprimere geſtiant?

Pax

Quis

Quis annos penè XXXIII, quos Electoratum summa cum dignitate & laude gessit, militem patriæ infestum in his regionibus vidit vllum? imo quis visurum se metuit? Quod eò admirabilius est, quò magis motas, confusas, & in discrimine constitutas res Imperij meministis omnes, AVGVSTO gubernacula Electoratus capessente, instar nauiculæ, quæ fluctibus maris turbulenti iactata, quandoque ad scopulos alliditur, vt fatiscere, & iam iam naufragium factura videatur: Quæ turbæ, post Deum, pacificis & moderatis consilijs huius magnanimi Herois, in ipso quasi limine gubernationis, ita sedatæ & compositæ fuerunt, vt numinis instar τοῦ εἰρηνοποιῆσαι καὶ ἀποκαταστάσεως turbatæ Germaniæ causa, tum de cœlo missus videretur.

Nec verò incoata tum fuit pacificatio tantum, sed pax etiam constituta, Dei beneficio, & cura atque solicitudine AVGVSTI nostri, huc vsque sine vlla interruptione costanter conseruata, ita vt cum antecessoribus nonnullis, non minus pacis, quam gubernationis diuturnitate certet, Marco AEmilio Lepido, qui Concordiæ nomen sibi arrogauit, τῆς εἰρηνοποιήσεως καὶ εἰρηνοφυλακίας laude longè antecellens, AVGVSTO Monarchiæ Romanæ, ἐξάρχῳ vt nominis societate, ita pacati & tranquilli imperij gloria & celebritate quàm maximè coniunctus, denique Alexandri Seueri, cuius imperium τοῦ ἀναιμάκτου attributo præ alijs celebratur, æmulus & imitator felicissimus, nisi sanguinariorum conspirationes nefariæ gladium illius acuissent & cruentassent.

Fortitudo

Sed videor mihi iamdudum audire quosdam

bellicarum laudum D. Augusti præconium requirentes, occinendo mihi celebre illud Agamemnonis elogium:

Ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής.

Verum meminisse isti debebant eius, quod verè à Cicerone dicitur: multas res domesticas extitisse maiores clarioresq; bellicis, Et Symboli Imperatoris Martiani: Quid opus est armis indui, quando in pace viuere possumus?

Quod si quis non dimicet de gloria sua, vt Pyrrhus, non de alienis regnis occupandis, vt Alexander, nec priuatæ cupiditati vindictæ indulgeat, vt Annibal iratus Italiæ bellum intulit, sed de proprio regno tuendo, excolendo, amplificandoq; solicitus sit, maximé vero si huc omnia sua consilia, studia, conatus & labores referat, vt Ecclesiam rectè constitutã, & ab omni hostium vi ac intestinorum certaminum procellis liberam, doctrinamq; ab omnium errorum inquinamentis repurgatam posteris relinquat, exemplo sancti Imperatoris Theodosij, magis de Ecclesia, quàm de sua ipsius vita soliciti, vt Ambrosij verbis vtamur, quo in sanctissimo augustissimoq; militiæ genere D. Augustus strenuè admodum, per omnem vitam decertando, insignes & egregios de hostibus triumphos egit, an non illis ipsis bellatoribus Heroicis, quemadmodum & Camillis, Decijs, Scipionibus, Fabijs & id genus multis alijs meritò superior iudicabitur?

Ad Imperij verò bella quod attinet, quid inde quæso vsq; ab initio gubernationis illius Electoralis bellorum vnquã contra immanissimum orbis Christiani hostem tyrannum Turcicum gestum est, in

quo

quo non ille consilij prudentia plus, quàm quidam etiam armis præstiterit? γνώμη γὰρ κρείσσων ἐστιν, ἢ ῥώμη χερῶν.

In ipso vero Imperio, post sacros Imperatores, quot quamque perniciosi motus ipsius consilio & autoritate oppressi? quàm periculosa dissidia composita? quanta Germaniæ restincta incendia, quanti fluctus, quantæ procellæ factionum, metu armorum, & potentiæ illius sedatæ?

Domi denique & in ipsa patria, quàm illustres de coniuratis patriæ hostibus, & quidem sine multa cæde & sanguine victoriæ reportatæ? Quæ tanto gloriosiores & admirabiliores sunt, quantò illustrius non minus prudentis quàm heroici bellatoris opus est, insidiatores de bello inferẽdo consilia adhuc agitantes aggredi, & arma eorundem manibus excutere, quam campos, castris & milite iam complentes, omniaq; longè lateq; vastantes & populantes, armis & robore opprimere & prosternere. Quid ergò? & quid dicis? nunquid hæc considerans magnanimum heroa, hostibus debellandis Martis opere dubio & ancipiti nullũ prorsus generosi & Mauortis animi peritiæq; armorum specimen edidisse dices? Absit. Nonne eum potius semper in armis & acie quasi stetisse fateri cogeris? alijsq; tantò maiore bellicarum artium laude antecellere, quantò maius opus est, continua bella gessisse & gubernasse, quã vnam atque alteram saltẽ quantumuis periculosam velitationem & depræliationem cum hostibus in castris commisisse? Sed de his bellicarum rerum periti, quàm ego, & iudicauerint rectius & commentati forte fuerint melius atque commodius.

Neque

Beneficentia. Neque hic præterirem silentio illustria monumenta, clementissimæ munificentiæ & εὐεργεσίας, quam cum in alios suæ celsitudini subiectos, tum in Ecclesiam & Scholas, maximè in Academiam nostram liberali pectore exercuit, quam illę vt sibi hæreditariam, tanquam φιλόστοργος pater filiam maximè dilectam, in sinu suo complexus, singularis clementiæ cura & studio fouit, ornauit & auxit: verè Abimelech, id est, pater meus rex, quo titulo reges Palestinæ olim ornati fuerunt: Quàm etiam laudibus extollerem illustrem Colophonem, quo clementissimam suam erga Ecclesiam magnificentiam quasi conclusit, amplissimæ donationis centum millium florenorum, piorum verbi ministrorum viduis & pupillis, ne fame contabescerent, alendis sustentandisque, sancta dispositione testamentaria quasi consecratorum, nisi orationem prolixiorem temporis excluderet angustia?

Hinc autem quàm luctuosus & acerbus nobis acciderit, tanti Principis obitus, quis est qui non intelligat? Et quidem non nobis tantum, sed toti patriæ Germaniæ, inclitæ domui Saxonicæ vniuersæ, ordinibus Imperij omnibus, imò Christianorum orbi vniuerso. Heu Misnia, heu Electoratus Saxoniæ, heu Imperium, heu Germania, heu totus Christianorum orbis. Quam caput prius auspicijs præsidioq; AVGVSTI erectum modo demittitis? Quàm miserabili gemitu & voce admodum lamentabili cladem hanc deploratis? quàm concitato desiderio Seruatorem vestrum reuocatis? O nos miseros subditos, tam bono Principe orbatos. O me infelicem Misniam, patriam vestram, Patre patriæ desti-

destitutam. O nos squalidas Musas. O calamitosos ludos illustres, tam benigno Mecænate & nutritore potente priuatos. O languentes vniuersitates scholasticas, puellis infirma adhuc ætate parente orbatis non dissimiles. O terq; quaterq; me infelicem Ecclesiam, tam benigni non Domini sed patroni, non Principis sed patris cura, patrocinio & fide spoliatam. O consternatam perturbatamq; me inclitam domum Ducum Saxoniæ, magno præsidio ornamentoq; exutam. Denique me miseram totam Germaniam, olim quidem florentem Europæ dominam, Romani Imperij æmulam, nunc autem languescentem quasi, marcescentemque flore generosi sanguinis subinde exarescente. Tandem me miserum Imperium Romanum, amissa viua columna, fundamentoq; solido, & quidem tempore alienissimo, imò periculosissimo, quò nunquam magis hoc firmo parastata mihi opus fuit.

O AEthna grauiorem molem peccatorum nostrorum, qua tam firma columna oppressa est, lacrymarum torrente deplorandam, vt scriptura loquitur. O Iliada & Lernam tragicarum calamitatum in nos impendentiũ, tanti herois obitu prænunciatam, non nisi matura seriaq; omnium ordinum pœnitentia & deprecatione in fide Christi ab humeris nostris auertendam. Sed quo prouehimur indulgentes dolori & lacrymis? Et cur dolorem, cui modum statuere iubet religio Christiana, ipsi nobis exasperamus; Principes illustrissimi, patres amplissimi, quasi vel de salute illustrissimi Electoris essemus soliciti, aut omnibus nobis erigendis accommodatarum consolationum præsidijs destituti? Quin

potius

potius omiſſa lamentatione & fletu, colligamus nos, doloremq; applicatinoe remediorum ſalutarium vincere ſtudeamus. Ad tuam enim illuſtriſſimam celſitudinem quod attinet, Princeps ô AVGVSTE, conſopita illa morte placida (quam Græci εὐθανασίαν vocant) non eſt redacta in nihilum, ſed ex duriſsimo ergaſtulo & ſqualido carcere huius non tam vitæ, quam calamitatis, imò ex iactatione horridæ tempeſtatis & pelagi turbulenti, inſtar nauiculæ ſæuiſsimis fluctibus diu agitatæ, liberata ſancta & heroica animula tua, ad tranquillum portum feliciter appulit, imò ex terrena aula curarum, laborum, moleſtiarumq; pleniſsima, euolauit in ſplendidiſsimam aulam æternæ beatitudinis, & lucis inacceſſæ, in qua læto fruitur conſpectu filij Dei, Immanuelis noſtri, cuius gloriam & veritatem acerrimè defendit in hac vita, inuitis & frementibus portis inferorum, collatione cum Angelis dulciſſima & conſuetudine totius Eccleſiæ triumphantis ſanctiſsima, ita vt veriſsimè exclamare poſsimus:

Tu patriam repetis, triſti nos orbe relinquis.
Te tenet aula nitens, nos lacrymoſa dies.

Corpore in ſpe glorioſæ reſurrectionis in cubili ſuo, ad conſummationem ſeculi vſque, ſuauiter requieſcente.

Teſtis huius rei ἀξιόπιστος nobis eſt religioſa tua ἀνάλυσις, facta in ardente inuocatione, in conſtante & exultante, ac conſolationis viuificæ plena fide & confeſsione Ieſu Chriſti, Domini & Seruatoris noſtri vnici, eaque gemitibus, ſuſpirijs & votis

votis, imò precibus ardentibus, ex imis cordis penetralibus depromptis, ſæpiſsime iterata, & ad extremum vſque vitæ Spiritum continuata, cuius beatæ emigrationis ex hac vita cogitatione accurata, quis eſt qui dolorem ſibi imminui non ſentiat?

Et quidem quàm efficax hoc eſſet dolori vulneris noſtri mitigando remedium, niſi alia eſſent quoque ἀλεξιφάρμακα non minus efficacia, & ſalutaria? Quem enim non efficaciter conſoletur, erigat atq; recreet? in primis æterni Dei clementiſsima promiſsio, de miranda protectione & conſeruatione regnorum & Rerumpub. fidum ac tranquillum Eccleſiæ hoſpitium præbentium, & de Eccleſiæ in his ſtabilitate & incremento, deletis illius hoſtibus: Cõteram regnum peccans, & non conteram regnum Iacob: Poſui verbum meum in ore tuo, & vmbra manus meæ protegam te, &c. vt dubium nullum ſit, hunc cuſtodem nobis quoque affuturum, & nauiculam gubernationis politicæ, ne ad ſcopulos periculoſorum errorum & lapſuum impingat, propter Eccleſiam & Scholas tutam præſtiturum, quamdiu illis commoda in hac ſedes conceſſa fuerit, omnibus Epicureæ ἀπελγείας, profanæ ſecuritatis, blaſphemorum errorum, fædarum libidinum, & atrocium ſcelerum, manifeſtorumq́ue ſcandalorum, inquinamentis ab ea expurgatis, & quaſi ex agro ac finibus Eccleſiæ, inſtar Zizaniorum & lolij infelicis, graui concione pœnitentiæ, ſeuera animaduerſione Magiſtratus, veraq́ue ad Deum ſingulorum conuerſione exterminatis. Reprimat etiam doloris impetum cogitatio de ſuccedente in Illuſtriſsima veſtigia gubernationis pa-

ternæ filio, re & nomine Christiano, Principe generosissimo, & ad omnia summa nato, Domino nostro clementissimo, à quo in conspectu & ante oculos omnium posita heroicarum, imò regiarum animi dotium insignia, præstita præclara, viuo patre, laudabilis & salutaris gubernationis initia, & speciosa pia ac heroicæ æmulationis virtutum & laudum paternarum auitarumq; documenta, (merito grata mente nobis agnoscenda, subiectissimoq; studio prædicanda, & laudibus extollenda omnibus) spem nobis haud dubiam faciunt, imò argumento sunt certissimo, illustrissimam Celsitudinem illius, iacturam fidelis & salutaris operæ, in fouenda & ornanda vera incorruptaque religione, Ecclesia & patria, & fulciendo Imperio, obitu parentis factam, Dei fretam gratia & auxilio, studiosè compensaturam, gratissima mente & ore à nobis & omni posteritate in his terris, & omni æternitate hoc nomine celebrandam.

Vides illustrissime Princeps Elector Christiane, religionis puræ & incorruptæ curam custodiamq; in his terris in te recumbere, instar maximi precij depositi, vnà cum hæreditate à patre tibi traditæ & commendatæ, flagitare opem tuam res Imperij vniuersas, admodū inclinatas perturbatasque, in te vnum proiectam patriam, à te pendere omnium ordinum dignitatem, Ecclesiam, literas, pacem publicam, iura, disciplinam, & quid non? denique omnium oculos, in parentem prius defixos, in te vnum nunc conuersos, & spem omnem repositam, tu nobis, post Deum, vnica arx, tu portus, tu ara, tu asylum nostrum. Tu absq; vlla dubitatione;

pro pie-

pro pietatis tuæ, cæterarumq; heroicarum virtutum præstantia & excellentia, omni mente, omniq; animo in hanc curam incumbes, huc omnes neruos intendes, vt tantam rerum molem humeris tuis impositam, Deo inprimis propitio te gubernante & confirmante, in timore, fide, & inuocatione illius piè & heroicè sustineas, geras, serues & tuearis.

Spondet hoc nobis pietas tua in Deum, in patriam, in parentem, amor erga Ecclesiam & Imperium, cum heroica virtute coniunctus, flagitat vnicè gloria nominis diuini, salus Ecclesiæ, incolumitas patriæ, libertas inclytæ Germaniæ, deniq; stabilitas sacri Romani Imperij vniuersi.

Quod superest φάρμακον non minus efficax, & crebra iteratione dignissimum, imò præsidium Ecclesiæ vnicum firmissimumq;, Te Fili Dei & hominis, Domine Iesu Christe, supplices oramus, ne sinas hostili incursione luporum gregem tuum lacerari, aut vastari ab apris vineam tuam; nec tradas animam turturis tui feræ arundinis discerpendam, ne dicatur in gentibus: Vbi est Deus eorum? Quin potius extirpa ex cœlesti vinea tua omnem plantationem, quam non plantauit pater tuus cœlestis, & respiciens de cœlo, vide ac visita, potenterq; tuere & excole vitem tuam, nosq; huic insitos palmites, vt copiosum tibi fructum feramus in hac vita & in omnem æternitatem. Precatio.

O vtinam, veritas & pax arctissimo amplexu copulatæ, suauia sibi inuicem oscula figant perpetuò in terra nostra.

Deniq; serua rudera huius vltimæ Monarchiæ, fulciendo luteos pedes nutantis Imperij, excita illu-

ſtriſsimum Principē Chriſtianum Electorem, & alios præſtantes heroas, vt ἀνδριάντων inſtar collabentem molem miſerè afflicti, & horribiliter lacerati Imperij Romani, ſuſtinere & fulcire ſtudeant, medere grauiſſimis vulneribus inflictis, Illuſtriſſimæ viduæ, familiæ & aulæ Electorali, imò Eccleſiæ, Patriæ, & Germaniæ vniuerſæ.

In primis verò efficaci conſolatione erige, guberna, ſaluumq; & florentem diu nobis præſta generoſiſſimum, illuſtriſſimumq; Principem Chriſtianum, Dominum noſtrum clementiſſimum, & Celſitudinis illius Inclitæ Illuſtriſſimam Coniugem, Dominam noſtram Clementiſſimam, cum Generoſiſſimis pignoribus, Illuſtriſſimis ſororibus & affinibus, cumq; tota Illuſtri domo Saxonica, in diuturna proſperitate & pace harum Regionum.

Feliciter aſpira aura fauoris, & ſacri flaminis tui, ô Chriſte, auſpicijs Illuſtriſſimæ gubernationis illius, imò prouehe totum curriculum vento ſecundo Clementiæ tuæ, vt gloriæ nominis tui, incremento Eccleſiæ, & ſaluti Reipub. Chriſtianæ, cum literariæ, tum ciuilis, in his Regionibus, hîc & alibi, vtiliter inſeruiat, ſedatis multiplicibus turbarum procellis, & auerſis impendentium calamitatum turbinibus, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuis & regnas, in Trinitate Deus vnus, in omnem æternitatem celebrandus.

D I X I.

ORATIO ALTERA VERSIBVS HEROICIS CONSCRIPTA

á

M. IOHANNE ALBINO



ONiunctis quoties ſacri penetralia templi
Cœtibus, vnanimi ſenſu, conſueta ſubimus,
Vota ſoluturi regi qui præſidet aſtris,
Inq; manu cuius ſunt omnia, magnus Olympus,
Atq; ſinu tellus quæ diues continet amplo:
Hæc ſemper ſubeat noſtras meditatio mentes,
Quanta ſit hæc miſeros nos gratia numinis erga
Diuini, (rerum facies quæcunq; ſit orbi)
AEde quod in ſancta, congreſſus inter amicos
Aure haurire licet ter ſancti oracula verbi,
Quod CHRISTVS Dominus, cœlo ſaluator ab alto
Eq; ſinu ſuperi noſtro patris intulit Orbi,
Vnde ſalus promiſſa patet mortalibus ægris,
Certaq; ſollicitæ capiunt ſolatia mentes.
Nulla poteſt ſatis hoc effari nobile donum
Lingua, nec ipſa animi vis id comprendere nouit.
In tenebris ſiquidem denſis, hoc quando caremus,
Ignariq; Dei, propriæ ignariq; ſalutis
Verſamur, ſed cum nobis lux illa refulget,
Quæ fuerant cæca caligine merſa, pateſcunt
Omnia, perſpicuam de ſe fundentia lucem.

Hic fons est scaturit, qui viuas limpidus vndas,
Cuius labra rigat dulci quicunq; liquore,
Non sitit æternum, quin flumina concipit intus,
Ad cœli largis vitam ducentia riuis.
Hic anceps gladius concidens obuia quæuis,
Cui se vis nescit truculenta opponere mundi,
Non stygiæ qui Dis tenet horrida regna paludis.
An non cum Satanas (templo sacra concio nobis
Vt nuper retulit) perplexas tendere CHRISTO,
In varias audax facies mutatus & ora
Insidias cuperet, loca per deserta vaganti:
Diuini obtenso CHRISTVS *tutamine verbi,*
Et veterum contra repetito carmine vatum,
Irrita tentamenta dolosq; retundit inanes?
Hoc Ducis exemplo moniti nos, tempore quouis,
Quæ facies rerum, casus quicunq; vagetur,
Diuini simus muniti pectora verbi,
Aduersus Satanam Clypeo mundiq; furores.
Ac veluti vastum qui verrunt nauibus æquor,
Incerti quanam nauta regione ferantur,
Ad paruam cœli Cynosuram lumina vertunt,
Quæ cursu interiore breui conuertitur orbe:
Sic nos ne vario instabiles errore trahamur,
Mentibus ad verbi diuini oracula simus
Intenti, tutos quod præstat, maximus orbis
Si ruat, in chaos atq; antiquum cuncta reuertant.
Hoc nos præclarum par est agnoscere donum,
Autoriq; boni tanti, nostræq; salutis,
Perpetuò promtis animis persoluere grates.
Iamq; adeò quoniam sacra conuenimus æde,
Magnifico præsente viro, virtutibus amplo,
Cumq; assint pietate viri meritisq; probati,

Compleat

Compleat ac studiosa astans loca cætera pubes,
Quid prohibet, verbis euoluere pluribus, ingens
Immenso verbi donum, quod ductus amore
Credidit, & vouit tibi sancta Ecclesia Christus?
Quo sine mors, hominum vel felix vita putanda est,
Quod nobis solum rebus solamen in arctis,
Quæ sola arx, portus tutissimus, araq; nostra est.
Affer opem tu magne Deus, viresq; ministra,
Absq; tuo vis ingenij ni numine præstat,
Nec præstare potest, timidam tu dirige nauim,
(Nam potes) & cursus velis immitte secundos,
Vt tenui memorare queam tam grandia versu.
Et facies, nec enim te supplice voce rogantem
Deseris, infirmo præstas quin plura petitis.
Sunt, quæ nemo negare potest, ingenia prorsus
Dona, quibus miseros mortales afficit vltrò
Clemens ille pater rerum Seruator & autor,
Quæ si quis verbis velit enumerando referre,
Ille etiam Lybicis numerum subducet arenis,
Aut atomi referet volitent quot vbiq; per auras.
Quò magis hæc mentes vestigant sensibus imis,
Obruit infirmas magis harum copia rerum.
Et quis erit, centum si linguas oraq; centum
Si natura daret, dignè qui reddere verbis,
Quanta sit erga homines bonitas, miseratio quanta,
Possit, inexhausto quæ manat ab æthere fonte?
Mirifica sapiens hominis cum conderet arte
Membra Deus, radios diuinæ lucis, & altos
Ipsi præ cunctis animantibus indidit haustus,
Vt natura sagax, compos rationis & esset,
Præteriti memor, & quæ fors uentura sub annos
Sint, incredibili rationis acumine scrutans.

Hoc cœlum vasto quod circumplectitur Orbe
Omnia, conspicuis astris & luce refulgens,
Vnde dies nocti succedit, & vnde peractis
Mensibus, in sese remeando voluitur annus:
Hic varius passim quo circumfundimur aër,
Circuitu Nereus magno quæcunq; recondit:
Alituum, pecudumq; genus, genus omne ferarum:
Humanos fecit cura omnipotentis ad vsus
Omnia, nec quicquam caret vtilitatibus, ille
Ille Deus nostri curam gerit, atq; benigna
Omnia suppeditat dextra, quæ vita requirit.
Quin nos angelicos, hostis ne forte nocere
Insidiæ possint, denso lubet agmine cœtus
Cingere, ceu vallo magnas quod circuit vrbes.
Magna quis hæc neget esse? & sunt hæc max. certe,
Sed veluti radijs claro sol aureus ortu
Exuperat reliquos maioribus ætheris ignes,
Gratia sic immensa Dei bona cætera vincit,
Quod cum tetra esset nil non caligine pressum,
Humani generis sortisq; misertus iniquæ
Sedibus arcanis is prodijt, omnia luce
Miranda & verbi longè lateq; repleuit.
Quodq; tot in rerum vicibus, mundiq; procellis,
Dum vetera intereunt terris noua regna resurgunt:
Sancta tamen per tot conseruat secula clemens
Cum sacris veterum libris Oracula vatum.
Nulla erat ante via, obducebant omnia vepres,
Arcebant aditu mortales aurea cœli
Sidera: terrificis tenebris obducta latebant
Omnia, non secus ac pulsa diuinitus vrbes
Luce Pelusiacæ quondam latuisse feruntur.
Vt vero sancti verbi lux orta refulsit,

Et pia

Et pia relligio cœlo caput extulit aureum,
Cum tenebris fugère metus horrente capillo,
Et dubias mentes hominum qui decipit Error:
In quorum subière locum spes nescia frangi,
Cum pietate fides, niuea & Dilectio palla.
Præclarum hoc donum, quo non diuinius vllum
Qui non deuotis animis agnoscere secum,
(Vtq; potest) aliquos conetur reddere grates,
Durior est scopulis fixis radicibus imis,
Adriaco assidui quos fluctus marmore tundunt.
Si quis adhuc duras retinens in pectore cautes,
Non tanti ducenda putet tam maxima dona,
Thesauri tanti vim non intelligat: ille
Ad varias mentis conuertat lumina gentes,
Ignaras superum, & diuinæ lucis egenas,
AEthiopas, Arabasuè, sitosuè sub ignibus Indos,
Et media ire vident vmbras qui luce sinistras,
Turcarum spectet sceleratum dogma Tyranni:
Eheu quæ tenebræ, quam rerum tristis imago,
Quantus inest animis quamq; execrabilis Error
A regione viæ ducens & tramite recto,
Inuoluens (miserum) extrema caligine mentes.
Dum ducunt infelicis spiramina vitæ,
Non illos fulcire potest spes vlla salutis,
Nulla secutura releuant solamina vitæ,
Incertis animis dubijsq; vt bruta, vagantur.
Auocat at cum mors tristes telluris ad vmbras,
Atra patent illis directo Tartara ductu.
Et quis erit tandem, si mundus quos habet amplus
Thesauros teneat, velit hanc ita ducere vitam?
O talem Deus à nobis auertito pestem.
Barbaricis memoro quid gentes Orbis in oris?

Imperio quondam quid erat florentius vsquam
Romano? quod per tam plurima secula magnos
Protulit Heroas, fama super athera notos,
Qui tot fuderunt hostes, tot pralia forti
Confecêre manu, celebres cepêre tot vrbes.
Quid tamen est verbi diuini luce remota
Splendor is, & tanti Maiestas inclita regni.
Scipiadum ducens aliquis post terga reuinctos
Captiuos reges, magna praeunte caterua,
Stipat vtrumq; latus procerum lectissimus ordo,
Ipse sedens curru gemmis auroq; micanti,
Mœnia cum triplici ingreditur Romana triumpho:
Ingens spectantum tenet admiratio mentes,
Expleri nequeunt oculis, ardentq; tuendo:
Sublimen fausti tolluntur ad athera plausus.
Quis vita neget Heroas hos esse beata?
Quem non afficiat tantarum gloria rerum?
Hi sunt, hi soli (dicas) quos numina curant:
(Sunt vbicunq;) Homines alij velut vmbra vagantur.
Ha sedes superum, his magni sunt credita mundi
Regna, pares Dijs in terra qui cuncta gubernent.
Intima sed tanti Herois penetralia cordis
Si tueâre, sacra & de relligione requiras,
Quem putet esse Deum, cui pareat arduus ather,
Quo fidat, faciem cum sors ostentat acerbam,
Hac fragili num nam defuncta cadauera vita,
Ossaq; ab exesis sint surrectura sepulcris,
Vita pijs olim an mortalibus altera restet:
Illius, hac inquam si tecum in corde requiras,
Obducta horrenda caligine cuncta videbis.
Absq; Deo viuit vagus, incertusq; salutis
IVLIVS, *à veteri deductum nomen* IVLO

Cæsar

Cæsar habens, nec quid fugiat scit, quidue sequatur.
De superis animo rebus cum cogitat ille,
Incertam penitus turbat dubitatio mentem.
Tandem cum cedit fatali funere vita,
Non ipsi vel opes, tantorum aut splendor honorum,
Non res, quas varijs terrarum gessit in oris,
Non vrbes toties, quas Marte fauente subegit,
Non meriti summa toties cum laude triumphi,
Vel minimum prodesse queunt, quin passeris instar
Exigui, leuibus qui pennis aëra tranat,
Vulneribus moritur proprijs confossus amicis,
Cum gemituq́ fugit vita indignata sub vmbras.
Felices nos ergo & terq́ quaterq́ beatos,
Clara Euangelij quibus est lux credita cœlo,
Lux ingens, largo collustrans lumine mundum,
Et splendor solem illustrans splendoribus ipsum.
Hæc lux, quæ via tendat ad alti limen olympi,
Notitiamq́ Dei dictis demonstrat apertis.
Discutit hæc mentis tenebras, clara omnia reddens,
Ambiguo nulla ne parte errore trahamur.
Hæc lux ingentes thesauros clara recludit,
Ad quos collatæ, quibus India diues abundat,
Innumeræ rutilis gemmæ splendoribus, omnes
Mundi diuitiæ, vasa aurea, copia honorum,
Res gestæ ingentes, atomi sunt vnius instar,
Pulueris aut tenuis, rapido defessus in æstu,
Quem repetens patriam sicco spuit ore viator.
Quæ vero, quænam quam sacra volumina produnt
Notitia est? nobis quid spondet cœlitus orta
Vox Euangelij? quænam bona tanta feruntur?
Quosnam thesauros homini vox illa recludit?
Dicam summa sequens tantum fastigia rerum,

Plura

Plura pijs animis vestris meditanda relinquens.

AEterni CHRISTVS *Soboles aequaeua parentis,*
Luciferum ante satus roseum, quem secula propter
Condita sunt, viuum viuo de lumine lumen,
Vnica spes hominum, Saluator & vnicus orbis:
Sacrorum situs est monumentis ille librorum,
Hunc nobis produnt diuina volumina vatum.
Hic est ille Deus, miserans incommoda nostra,
Consilio superum magno qui ductus amore
Venit in has terras è casta virginis aluo,
Editus in lucem mortali corpore, Verus
Factus Homo, Deus & mortales induit artus.
Post & Iudaeo sub praeside plurima passus,
Solueret vt nostram precioso sanguine noxam,
(O amor, ò ingens bonitas) trabe fixus in alta
Insons humano vitam pro crimine fudit.
Tres vbi sed luces tumulo latuisset in imo,
Has superas victor redijt rediuiuus in auras,
Exceptusq; polo, Angelica plaudente caterua,
Ad dextram residens regnat patris omne per aeuum.
Hunc nos esse redemtorem Dominumq; fatemur.
Hic nos è miseris tenebris & carcere caeco
Ereptos, parta Dux libertate reduxit
In patriam, clausi vectesq; reclusit Olympi,
Vt via iam sit aperta ad caeli sydera ducens,
Et superi liceat coram patris ora tueri.
In CHRISTO *siquidem diuina potentia tota*
Viua latet, magnum quae virtute aethera complet.
Haec via, qua sine nil hominum nisi pectora teter
Error habet: vera est haec lux, vera omnia pandens.
Haec vita est, quam si demas, quae vita putatur
Mors erit, exitium intentans miserabile cunctis.

Hoc

Hoc duce nemo poteſt nos contra dicere cauſſam:
Iudice non hoc vlla nocet damnatio nobis,
Iuſtitiæ CHRISTI *precioſo ornata monili*
Corda, licet fuerint naturæ ſqualida labe,
Sithonia longè niue candidiora niteſcunt.
Ac quamuis varijs ærumnis parte premamur
Ex omni, tentent noſtram mala multaq; vitam,
Aduerſis nos viua tamen ſolatia cunctis
Speſq; manet, trepido confundi neſcia caſu.
Viuimus, immitis (mirum) mors quando trucidat
Corpora, quæ fuerint tumulis vbi condita, tandem
Cum tuba terribilem ſonitum dabit æthere clangens,
E placido ſomno velut experrecta reſurgent,
Viuaq; percipient æterna gaudia vitæ.
Hæc bona ſunt, hæ diuitiæ, theſaurus hic ingens,
Diuini ſacra quem referunt Myſteria verbi,
Eripere haud poterit, quem quicquid vbiq; malorum.
Non fortuna vagans, permutans ima ſupremis,
Atq; ſuprema imis, ſtygij non arbiter orci,
Ringatur quamuis, & miſceat infera ſummis.
Ille quidem generis noſtri teterrimus hoſtis,
Antiquus ſpiris ingentibus anguis oberrans,
Cum nobis hæc inuideat, nil linquit inauſum,
Nil non molitur, quo ſancti dogmata verbi
Deleat, aut penitus ſi non extinguere poſſit,
Infuſo falſæ doctrinæ limpida cœno
Flumina, gemmeolis vndis manantia turbet,
Hinc tot doctores falſa pietate tumentes
Excitat, & paſſim diſcordia ſemina ſpargit,
Hinc tot & exorti nullo non tempore ſæuis
Diuinum flammis auſi ferroq; Tyranni,
Tormentiſq; alijs miſerandis perdere verbum.

Quis aliquos adeò reges furor impius egit,
Vt conquisitos diuinos vndiq; libros,
Cœtibus in medijs auderent tradere flammis.

Quis non Antiochi, qui tantis cladibus hostis,
Iudæis adeò flammis & sæuijt oris
Edictum, haud penna scriptum, sed sanguine nouit?
Immani iussit quo trux hæc bellua rictu
Diuinos abolere libros, nec sancta negare
Numina, vel truncis accendere thura volentes,
Tormentis exquisitis flammisq; necari.
Nota Diocletiane tua est rex impie tetra
Sæuities, qui non contentus cæde nefanda
Tot sanctas animas, Christum Christiq; professas
Dogmata, terribili cruciatu tollere vita:
In sacros etiam te libros impius egit
Ardor; vt auderes sæuis hos vrere flammis.
At florent stabili sacra scripta nitore per orbem,
Te propria (horrendum) confosso vulnere dextra,
Atq; Orci nulli rapto miserantis ad ignes.
Iste quoq; Antiochus portentum ignobile, tandem
Vermibus innumeris, per membra scatentibus omnia,
Horribili vocis fremitu, fætoreq; tetro
Tartareis animam deuotam reddidit vmbris.

Nimirum sors hæc tibi sancta Ecclesia cessit,
Semper, vt innumeris ærumnis pressa potentum
Imperijs latitès, cuiuis exposta periclo,
Agmina ceu tener infans inter dira luporum.
Mirariq; adeò subeat, radicibus illa
Immota rupis cum sit fundata, furentes
Quæ Boreas, tumidos & despicit æquoris æstus,
Quod tamen assidua sic mobilitate feratur,

Nec loca certa habeat, nec tempore floreat omni.
Fingamus nobis muris subtilibus arcem
Firmatam, dextra quæ numinis æthere ab alto
Diuini, tenui libretur in aëre filo,
Hac vt munita saxis nil firmius esse,
Sic nil mobilius, magis & mutabile dices.
Non hac dissimilis specie est Ecclesia Christi.

Ac varia veluti facie micat aurea Phœbe,
Iam solem contra exurgit, plenoq́ coruscam
Orbe comam, & rutilo totum caput explicat auro,
Iam minor, obliquos vultus, turgentiaq́ ora
Nocte refert, media est iam, iam sua cornua profert,
Iam cœlo ignaris planè excessisse videtur,
Cum tamen admoti spectat quà lumina solis,
Splendescat, plenoq́ supernè fulgeat orbe.
Hæc fortuna manet cœtum, quem concio verbi
Colligit, atq́ habet hæredem cœli aula beatum,
Pressus vbi misera cruce, dura & mole laborum,
Cæde Tyrannorum consumtus creditur, inter
Continuos fluctus tempestatesq́ frementes,
Confisus CHRISTO *Domino, caput altius effert.*
Quoq́ magis premitur, stygij ducis artibus & vi,
Palmæ instar tanto magis altas surgit in auras.
Sic & in æquoreis qui nascitur vnio conchis,
Excepto his supero qui labitur aëre roris
Humore, oscillis clausis, vbi littora iuxta
Ingens exoritur turbo, fluctuq́ tumescit
Vnda ferox, conchas medium quæ raptat in æquor
Præcipites, tali solito præstantior ortu
Ille fit, vt gemmas vincat quascunq́ nitore.

Non igitur misero rerum discrimine quisquam
De diuino animum verbo despondeat, ille
Qui nutu frenare potest hostilia victor
Agmina, qui magna toties virtute repressit
Vertice rebantur qui se contingere cælos:
Non rabido præda Dominus sinet ore petita
Esse suos, ipsi confisos pectore toto,
Desertos nec eos malefido linquet in orbe.
Spargere non cessent lita dogmata falsa venenis
Hæretici, spirentq́; nihil nisi sæua Tyranni
Fulmina, stellanti residens est maior Olympo,
Et spectans oculis terris quæcunq́; gerantur.
Ad lætum potis is res omnes ducere finem.
Sanè quando Dei tangit miseratio mentem,
Relligionis opus, doctasq́; instauret vt artes
Excitat, & celso virtutum robore munit,
Magnorum pia corda Ducum, quibus vnica cura
Relligionis honos, & magni gloria CHRISTI.
His illustratus diuina luce, secundos
Largitur rerum successus, cordaq́; flectit
Subiecti populi, faciles vt præbeat aures,
Et studio promto amplectatur verba docentum.
Non repetam veterum, nulli non cognita regum
Facta, quibus totum nomen peperêre per orbem,
Dum magnis animis diuini dogmata verbi
Illustrata volunt, è templis numina ficta
Dum remouent, veriq́; Dei quod pugnat honori.
Maxima bella gerunt, adeundo pericula vitæ
Plurima, notitiæ postponunt omnia CHRISTI:
Ad propiora vocat angustia nos breuis horæ.
Cum Deus immensa nostri bonitate misertus,
Cimmerijs velut è tenebris & carcere tristi

Præsulis

Præsulis Ausonij, Germanis vellet in oris
Saluificamq́; fidem, & CHRISTI producere verbum:
Horum primus erat FRIDERICVS *nobile lumen*
Terrarum, sapiens dux, illustrißimus Heros,
Quo magno magnus Duce prodijt ille LVTHERVS,
Eliæ mentem similis, Zelumq́; flagrantem,
Ausus se primus Papali opponere monstro,
Huic comes additus est, doctrina munere præstans
Eximia, & placida diuinus mente MELANCHTHON.
His creuêre bonæ paßim ductoribus artes,
His etiam cælo caput extulit aurea, quæ nunc
Relligio totum sincera perambulat orbem.
Hoc functo, frater fuit alter Saxo secutus
IOHANNES, *summæ pietatis nomine clarus,*
Cæsare qui coram Imperij totoq́; senatu,
Non veritus CHRISTVM *fido fuit ore fateri,*
Hostili multis frustra frendentibus ira.
Nec Princeps te IOHANNES FRIDERICE *tacebo,*
Pectore magnanimo cui vix similem vlla tulerunt
Tempora, qui pietate ardens vel fundere vitam,
Et fortem cara pro relligione cruorem
Promtus eras, mortemq́; Dei pro laude pacisci.
Marte potens noster quid non & præstitit Heros
MAVRICIVS? *quæ templa pius ratione, scholasq́;*
Non exornauit? quibus vnquam sumtibus ille,
Vt sacra florerent nostra inuiolata, pepercit?
Sed mors quæ nihil esse diu sinit inuida magnum,
Pro cara patria pugnantem vulnere ademit,
Vix ostendißent cum fata immitia terris.
Vlterius ne loquar? mœsto quid lumina vultu
Deijcitis? tacitusq́; dolor præcordia pulsat?
Quid sibi ducta volunt imo suspiria corde?

Nempe recensemus veterum dum nomina clara
Magnatum, quondam pietate armisq́. potentum,
Pace gubernarunt has qui feliciter oras:
Ad magnum venit AVGVSTVM *nunc ordo, parenti*
Cui patriæ tristi fatorum numine rapto,
Ante dies ipsa hac bissenos æde dolendas
Exequias tulimus, supremi munus honoris.
Hoc casu, dolor est quo corde recentior, vrit
Hoc magis improbus, impatiensq́. per ossa recurrens,
Assiduo cogit tabescere lumina fletu,
Ceu madet vda salix, aut vitis vere tepenti,
Humor ab inciso dum largus palmite manat.
Nil prosunt, inquis, lacrimæ, reuocare nec vmbram
Defuncti possunt, & nostro reddere mundo?
Nil prosunt, fateor, non ad nos ille redibit,
Sit fletus licet incassum, tamen ille dolorem
Egerit, & cor qualiacunq́. leuamina sentit.
Ergo erat vt tandem post tot clarißima facta,
Exhaustos post tot noctesq́. diesq́. labores,
Impensas tibi post operas GERMANIA *tantas,*
AVGVSTVS, *verè Augusto sanctißimus Heros*
Nomine, qua fruimur vitali luce relicta,
Cederet è terris ad clari sidera cœli,
Hic luctus nobis desideriumq́. relinquens?
Hei nihil humanis fas quenquam fidere rebus.
Quid gentis decus eximiæ, splendorq́. parentum,
Quid pietas, quid cana fides, prudentia, candor,
Iustitia quid & ardor, & indefessa voluntas
Ornandi ratione omni, patriamq́. tuendi,
Profuit? infida qua mors metit omnia falce,
Hoc decus exangues nostrum demersit ad vmbras.
Hic pietatis honos? sunt hæc tua præmia virtus?

Te viuo,

Te viuo, ô AVGVSTE, *quibus vita indiget vsus,*
Larga fuit nobis cunctarum copia rerum,
Pax vrbes coluit, coluit pax arua, domosq́;
Nil aduersari cuiq́, te sospite, visum.
Ac velut arx triplici cum fossis aggere cincta
Praeruptis, alta quam firmant vndiq́ moles,
Et victu multo est, armis instructaq́ multis,
Militis haud timet incursus & tela ferocis:
Sic nos in tuta cincti quasi mœnibus arce
Viximus, expertes belli Martisq́ cruenti,
Officij propria quouis statione manente.
Quando diem claro produxit in aethere Titan
Lumine, sub tectis promiscua turba quietus,
Sueta sibi manibus victum solitoq́ labore
Quaerere, quo valeat paruos educere natos,
Consuetas operas sine sollicitudine fecit.
Inde vbi sol alto micuit sublimior orbe,
Accubuit positis mensis, epulisq́ paratis
Coniuge cum cara se filiolisq́ refecit,
Terribili sonitu non impediente tubarum.
Nox, abeunte die, quando nigrantibus alis
Incubuit terris, & fessa labore diurno
Corpora, iusserunt tenebrae mulcere sopore,
Membra toro posuit solito porrecta quietus,
Sollicitus nihil, occiduis quid Iberus in oris,
INDVS quidue niger faciat, quae bella gerantur
Effera, quae miseris viduentur cladibus vrbes.
Agricolis curuo terram proscindere aratro
Consuetis, solitus redijt labor actus in orbem:
Pinguia culta fimo certis saturare diebus,
Lanigeras septis pecudes includere, fruges
Demetere, & riguis plantaria figere in hortis.

Albiaco ratibus volitantes flumine nautæ,
Arctoas tutò merces vexère per vrbes,
Aut vbi diuerso positus sub culmine cœli,
Acer arat Regni cultißima rura BOHEMVS.
Floruit his nostris, CHRISTO *duce & auspice, terris,*
Sancta fide profitens Ecclesia dogmata vera
Relligionis, & aduersa quæcunq; repugnant
Fronte, salutiferi concidens fulmine verbi.
Præterea, si quid sceleris vaga turba patraret,
Quo conturbari consortia publica possent,
Hic Princeps sibi concessis à numine sancto
Edictis, iusto curauit & ense recidi.
Hoc pro diuino tibi munere, maxime, tantis
Pro meritis, dignas AVGVSTE *rependere grates,*
Non opis est nostræ, succumbunt pondere vires,
Et vis ingenij dudum iam pressa laborat.
Quod solum datur, & pietas quod recta requirit,
Nominis immemores cœlum hoc, laudumq; tuarum
Nos nunquam (vita sit sors quæcunq;) videbit,
AVGVSTI *semper nomen tollemus ad astra.*
Ac veluti propria carum qui morte parentem
Filius amisit, ducens suspiria ab imo
Pectore, sæpe oculos ad nota cubilia vertit,
Et loca quæ crebrò genitor lustrare solebat,
Infixum retinens animo vultumq; habitumq;,
Defuncti hac desiderium ratione leuando:
Sic nos te soliti tanquam obseruare parentem
AVGVSTE, *augustam faciem non amplius illam*
Cum contemplari detur, quod possumus vnum,
Semper inoblitis animis, & amore flagranti,
Te redeunte die, te decedente feremus.
Ite piæ Musæ (Ver appetit) ite frequentes,

Ferte

Ferte sinu violas, primi munuscula veris,
Ferte rosas post, & candentia lilia, ferte
Narcissiq; comam cum purpureis hyacinthis,
Texite odoratas vario de flore coronas,
His saltem vt donis ornatum diuite cultu,
AVGVSTI *à nobis decoretur nobile bustum.*
Non prosunt fletus, non, si qua præterit arcem
Vndas PLISNA *daret: Tandem requiescere luctus,*
Sollicitos par est & cedere mente dolores.
AVGVSTVM *terris postquam fera fata tulerunt,*
Spes nobis (supero sit gratia magna parenti)
Altera se ostentat quæuis faustissima spondens.
CHRISTIANVM *Heroum generoso stemmate natam*
Heroam sobolem, decus altæ nobile gentis,
In cari voluêre patris succedere honorum
Fata benigna locum, patriaq; capessere habenas.
Huius in egregio florente virente iuuenta,
Elucet species animi pulcerrima vultu,
Virtutumq; chorus toto se corpore prodit.
Illustris pietas est, & reuerentia diuum,
Impetus ad ius est animi præclarus & æquum,
Est amor in patriam, cui nullo deerit vnquam
Tempore, non vllos dubitabit adire labores,
Tuta sit vt passim sit patria saluaq; tellus.
Hoc Duce (nec dubito) felicia multa sequentur:
Florebunt artes, florebunt templa scholaq;,
Vrbibus acquiret res cunctis publica vires,
Inq; suo regio subiecta manebit honore.
Tu modo magne Deus, qui solus regna gubernas,
Qui pater es noster, vis & pater ipse vocari,
Tu modo res vultu clementi respice nostras.
Non nostræ meminisse velis rex maxime noxæ.

Errores nostros agnoscimus, atq; fatemur
Nos pœnas meritos, Tu crimina nostra remitte,
Propitius, dextraq; ducem defende potenti
CHRISTIANVM *in quo nunc terra huius cura recūbit.*
Alueolos nostros & primi examina veris,
Mella tui fingent quæ post dulcissima verbi
Seruato: tutosq; benigno numine præsta
De te pendentes soli tibi fidere suetos.
Tu custos vigil atq; tui sis pastor ouilis.
Vim frange hostilem & meditantes bella Tyrannos.
Vocem Euangelij puram, quam nulla profanet
Vana superstitio longos tueare per annos,
Participesq; finas omnes nos esse salutis,
Restituit fuso quam nobis sanguine CHRISTVS,
Cum quo viuis & æterno cum flamine regnas
Omnipotens Deus & clemens, cui gloria soli,
Soli Maiestas & honor debetur in æuum.

D I X I.

Θεῷ μόνῳ δόξα.

RECTOR ACADEMIAE LIPSIENSIS.

PLVtarchus monumenta rerum, à Græca Romanaq; vetuſtate geſtarum, eleganti pertexens ſtylo, de rege Numa Pompilio, hæc refert verba, quæ ex Græco ſic interpretando redduntur. Iuſtitia & modeſtia regis Numæ Pompilij, non ſolùm populus Romanus, ad manſuetudinem paciſq; amorem commotus eſt: verum etiam in vicinas vrbes, ab eodem rege, quaſi ſalubri aura deferente, influxit deſiderium tranquillè viuendi, Numenq; colendi diuinum, cum neq; bellum, neq; ſeditio, neq; tumultus Numa rege in Republica fuerit. Quæ vniuerſa & ſingula (liceat verò Ethnica conferre noſtris) ſi de vllo horum temporum Heroe, verè ac cõuenienter dici poſſunt: certè vt meritæ laudis præconium, honorifica aſſertione referuntur, de Illuſtriſſimo Principe ac Domino, Domino AVGVSTO SAXONIAE ELECTORE, &c. memoriæ felicis & beatæ. Admirãda etenim fuit, in hoc, de Illuſtriſſimæ Saxoniæ domꝯ progenie oriũdo Heroe, præſtãtis naturæ induſtria, ingenij vis excellens, iudicij circumſpecta prudenſq; acrimonia, ad iuſticiæ æquitatiſq; normam comparata, morum cum ſignificatione clementiæ peculiaris cõiuncta grauitas obſeruanda, conſiliorum, & in expediendis negotijs ſucceſſuum optata proſperitas, & denique omnium virtutum ſplendor inſignis, adeò quidem, vt ſi omnia,

quæ dignam mererentur prædicationem, commemorando pertexere conaremur, tempus verbaq; citius, quàm rei ipsius amplitudo, nos deficeret. Hæc autem præstantis naturæ dona, cum omnium virtutum suauissima harmonia & conuenientia, ad hunc vnicum scopum rectis plane studijs contenderunt ac veluti collimârunt. Nempe ad intemeratam sanctæ religionis puritatem retinendam, conseruãdamq; pacem & tranquillitatem publicam. In hoc igitur viuum omnium virtutum exemplar, tanquam in speculum, intuentes non solum subditi, omnem vitæ suæ rationem, ad studium pietatis tranquillitatisq; publicæ composuerunt, conformâruntq;: Verùm etiam reliqui principes, regiones, vrbesq; vicinæ, in Illustrissimum hoc exemplar oculos dirigentes, concitati sunt ad parem religionis pacisq; publicæ curam, imitando exprimendam, & conseruandam fideliter. Vnde factum est, vt quod de Numa rege refert Plutarchus, nos de ELECTORE AVGVSTO, recordationis felicis, verè indubitateq; asserere possimus: Sub huius nimirum Clementissima Reipub. administratione, ad annos triginta duos, neque tumultum, neque seditionem, neque bellum denique vllum, periculosè fuisse commotum, susceptũ, multo minus gestũ confectũq; exitiosè. Verùm cùm huius paternæ industriæ, pietatis, iusticiæ ac moderationis laudatissimæ, viua adhuc superstes sit imago & exemplum illustre: Nempe Celsitudinis eius filius Illustrissi. Dominus CHRISTIANVS, SAXONIAE ELECTOR, &c. Dominus noster Clementissimus: habemus profectò vnde non tantum sperare, sed indubitata assertione statuere possimus, antiquum hoc

hoc, & paterna industria confirmatum, sanctæ religionis tranquillitatisq; publicæ studium, tam ad subditos huius ditionis, quàm apud confœderatos principes, regiones, vrbesq; vicinas, immotum, firmum ac constans conseruatum retentumq; iri fideliter. Idque vt misericordis clementiæ Deus benignè conseruet, tueatur & prouehat, ardentibus intimo ex pectore votis, religiosè precamur. Quemadmodum autem regi Numæ, pro religionis tuendæ cura, paceq; constituta, populus Romanus post obitum, maximum honorem habuit, funeris exequias magnifico ritu Ethnico cohonestando, vtpote lugubrem hanc pompã prolixè refert Plutarchus, idq; in hunc finem factum fuisse tradit, vt populus ex honorifica sepultura ostenderet, vitæ regis defuncti desiderium: Ita certè, & quidem multo magis nos, quibus lux veritatis cœlestis effulsit, decet ac conuenit, erga Illustrissimum ELECTOREM AVGVSTVM, pro statu Reipublicæ, tam religionis vero cultu, quàm tranquillitatis publicæ neruis validissimis munito confirmatoq;, grati animi significationem subiectissimo declarare studio. Nempe Celsitudinis huius obitum felicissimum, syncero pietatis affectu, nec non modestia & continentia vitæ inculpatæ lugendo, significandoq; hac lugubri lamentatione, nostrum quoq; mortui Electoris vitæ candidum ardensq; desiderium. Ad quam tristis serijq; luctus significationem, eò studiosius & submissius declarandam, incitare nos debet, Illustrissimi Saxoniæ ELECTORIS DOMINI CHRISTIANI, &c. Domini nostri clementissimi, hisce diebus clementissimo ad nos transmisso rescripto, paternè insinuata commonefactio, qua

nobis iniungitur, vt vniuersis & singulis iurisdictioni nostræ suppositis, peculiariter edicamus, vt in hoc cõmunis luctus squalore, & periculoso temporũ statu, decora, moderataq; vitæ morũq; conformatione declarent, se hac publici luctus acerbitate, intimi cordis perturbatione, grauiter quoq; affici moueriq;. Quocirca licet nõ dubitemus, quemlibet qui modò non in diem viuit, sed huiusmodi tristes casus, altiori mẽtis indagine perpẽdit, suo officio spontè hactenus satisfecisse: Tamen rescripto Electorali, debita subiectissimaque obedientia morem gerendo, volumus, hortamur atq; edicimus mandãtes, vt omnes & singuli iurisdictioni nostræ subiecti, in posterum quoq; veste incedãt lugubri, & mœroris publici significationem præ se ferente. Vtque vitam agant piam, placidam ac modestam, qualem ordinis nostri decus requirit & postulat, abstinendo nimirum ab omnibus helluationibus indecoris, discursitationibus furiosis, vociferationibus nocturnis, & ab omni tandem insanientis ferociæ petulantia, Præterea vt precibus suis talia quoque religioso ex pectore adiungant vota, quò nempe interminatæ misericordiæ Deus hunc Reipublicæ nostræ statum, diutius tranquillum pacatumque benignè conseruet, clementerque auertat vniuersa pericula, quæ vel ex Diaboli insidiosa fraudulentia nobis intenduntur, vel etiam ab eiusdem socijs & asseclis nobis struuntur subdolè & malitiosè. Ac denique vt misericors Deus regat gubernetq; Spiritus sancti sui ope & auxilio, Illustrissimi Electoris Saxoniae Domini Christiani, &c. patroni nostri vnici ac clementissimi, consilia, conatus atque actiones vniuersas, quò Celsitudinis

dinis

dinis ipsius gubernatio Electoralis, fructuosis felicibusque incipiat auspicijs, & longo diuturnoq; tempore durans, multo felicioribus procedat, vergatq, ad nominis diuini gloriam, Ecclesiæ & Reipub. tranquillitatem, nec non vniuscuiusq; pro uocationis ratione commoditatem fructuosam. Hoc etenim pio, modesto laudabilique vitæ instituto, erga mortuum Electorem AVGVSTVM, ob Celsitudinis suæ clementissimam in hanc scholã munificentiam, grati animi debitam subiectissimamq; memoriam declarabimus: Illustrissimo verò Electori nostro CHRISTIANO, &c. qui iam totius patriæ nostræ decus est, & Dominus clementissimus, probabimus submissam obseruantiæ & obedientiæ decentis curam, nec non denique nostro satisfaciemus officio laudabiliter. Sin verò præter spem de vniuersis conceptam, quis de nostris, vesana quadam incogitantia, aliter se, quàm modo dictum est, gesserit: is sciat se non tantum pœnam neglecti mandati daturum grauissimam, verùm etiam Illustrissimi Electoris animaduersionẽ haud facilè effugiturum.

Prop. die 6. Martij, anno
M. D. LXXXVI.

In luctuosissimum Obitum

ILLVSTRISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI AVGVSTI,

DVCIS SAXONIAE, &c. CREANDISque Imperatoribus Septemviri, ingenti omnium ordinum luctu defuncti die 11. Feb. Dresdæ.



OSIAM si gens Israëlitica luxit,
Occidit in cāpis quando MEGIDDO *tuis:*
Planxit IEREMIAS *lacrimis & plenus a-*
Hoc obitu patriæ vulnera facta suæ: (maris
Nos non AVGVSTVM *deploraremus ademtum,*
Omnia quo viuo salua fuère, Ducem?
Rex erat ille pius, cui cordi iuris & æqui,
Atq; illibatæ relligionis honos.
Non noster minor Elector clarissimus Heros,
Exemplo rexit Iustitiaq; suos.
Lugeat Imperij Maiestas inclita, cuius,
Dum vixit, solus firma columna fuit.
Mirati quem sunt & suspexere, quot vsquam
Cum magnis proceres regibus orbis habet.
Lugeat amisso Germania Principe tanto,
Virtutum donis vix habitura parem.

Lugeat

Lugeat hoc decus eximium sibi, funere raptum,
Saxoniæ Heroæ stirps generosa domus.
Qui verò noster qui luctus conuenit esse,
Qui fuimus tanto subdita turba Duci?
Cuius & aspectu viuentis numinis instar
Conspicui licuit tempore quoq; frui.
Heu res humanas miseras, heu flebilis ordo
Fatorum, variat sors ita numné vices?
Hæc ne noui, lætus qui currere debuit, anni
Auspicia? Hæc verbis omina facta bonis?
Quas nobis animis miseris spes finximus, ingens
Hæc interrumpit morte fugatq; dolor.
Sperata pro lætitia creberrima gutta
Ex oculis veluti fonte perenne fluit.
Dicite, qui cœli faciem spectare soletis,
Aeris & dubias fortè notare vices:
Mensibus elapsis solito num fulserit orbe,
Sol volucres lucis qui regit autor equos?
An non obscura texit ferrugine frontem,
Nube vaga radios impediente poli?
Ille index paribus distinguens partibus horas,
Visus nescio quid triste sonare fuit.
Sæpe leuans oculos ad magni lumina solis,
Dum quod præsagit mens tremebunda ma-
Non frustra, dixi, celat sua lumina Titan, (lum:
Nec toties surgit turbidus axe dies.
Esse quid ah vereor tacitus quid lugeat æther,
O nostris terris parcite fata precor.
Tuq; ô qui nutu moderaris cuncta potenti,
Res clemens nostras aspice magne Deus.
Cura magistratus tua sint, hos numine dextro
Longæuos præstes incolumesq; diu.

Hæc ego sollicitus frustra dum fundo querelas,
Et mens ambiguo pressa timore stupet:
Nuncius affertur nostræ tristissimus urbi,
AVGVSTVM *terris fata tulisse Ducem.*
Quid dicam? præceps visus ruere æthere Phœbus,
Inuolui tenebris clarus & ipse dies.
Qui gemitus hominum, quæ comploratio facta est,
Qui consternato pallor in ore fuit?
Eheu res miseras, eheu lacrimabile fatum,
Mundi delitias abstulit vna dies.
Quæ poterunt posthac nos delectare, quid vsquam
Iucundum nobis, dulce quid esse potest?
Nec satis hoc, tacitis mens carpitur anxia curis,
Hoc casu quid si nos grauiora manent?
Ita vnà cuncti, sacras voluamur ad aras,
Prensemusq́; pia Numina læsa prece.
Non dubium, exarsit mens omnipotentis in iram,
Supplicia & iudex iustus acerba petit:
Ite pijs animis, inhibebit fortè flagellum,
Nos animaduertens pœnituisse Deus.
Ad pœnam lentus facilè obliuiscitur iræ,
Immissum clemens lenit & ille malum.
Tu parta felix AVGVSTE *salute quiescis,*
Non angor vitam nec labor vllus habet.
Inuisis linquis mœsto nos funere terris,
Vnica quas tutas reddere cura fuit.
Ante tuum pietas procumbit prona feretrum,
Relligioq́; sacras dilaniata comas.
Iustitia his comes est, fletu perfusa tepenti,
Atq; gerens palmam pax gemebunda manu.
Virtutes sed Magne tuas AVGVSTE *Camœnæ*
Per terras posthac & freta lata ferent.

Nunc

Nunc luctus vocem includit, nec plura dolore
Victa, dat ingenio Musa vocata meo.
Viue beatorum permiste Heroibus, ætas
Virtutes poterit demere nulla tuas.

M. Iohannes Albinus.

ELEGIA.



T pater AVGVSTVS *patria, tellure relicta,*
Scandit in æthereã, te duce Christe, domũ.
Ereptumq́, suis oculis Germania fidum
Irato sensit numine pressa Ducem:
Protinus ex omni fugerunt gaudia parte,
Et præter lacrymas restat in orbe nihil.
Læta prius, nunc mœsta iacet, turbataq́, tanto
Funere Saxonici Principis aula silet.
Flebilis Ascanio de sanguine Nympha sub umbris,
Turtur vt amisso compare, triste gemit.
CHRISTIANVS, *patriæ dulcis pietatis imago,*
Ecce rigat largis fletibus ipse genas.
Flere iubet pietas hostem quoq́: funera Saulis
Iessides querula flevit acerba lyra.
Aspice Saxonica de stirpe gravissimus Heros
Patris vt in cari funere mœstus eat.
Velo mite caput lugens obducitur atro,
Vestis & in longos defluit atra pedes.
O quoties, animum Patris morientis imago
Dum subit, ex oculis lucida gutta cadit.
Sic gemuit, sic amplexus me, mœsta suprema
Signa voluntatis non moritura dedit.
Sic tenerum primis docuit me fidus ab annis,
Et varias artes, & sacra verba Dei.

 Fessus

Fessus vt Imperij quondam mihi traderet ensem,
Et sua felici sceptra tenenda manu.
Nunc iacet, & magnũ mihi soli morte relinquit,
Ferre quod ambobus grande fuisset, onus.
Inuida mors, adeóne pijs conatibus obstas?
Quantum erat, ah paucos abstinuisse dies?
Nunc scio, quàm grave sit, fragili confidere vita,
Principibus nescit parcere Parca viris.
Multos Isacidum peperit domus inclita reges,
Multos irrigua Nilus amanus aqua.
Si quaras, vbi sint: mors frigida sustulit omnes,
Et rigidas vnctis intulit atra manus.
Nos quoq; decidimus: de celsis arcibus olim
Traxit mors atauos in cava busta meos.
Fata pia nuper deflevimus vltima Matris,
Illa licet magni filia regis erat.
Te quoq; nunc AVGVSTE *pater lugemus ademtum,*
Profuit illustris nec tibi stemma domus.
Vanus amor mundi est: fastus depone superbos,
Qui sapis, & cauto pectore disce mori.
Sic Heros: caro tum marent Principe rapto
Reges, atq; tui Teutonis ora Duces.
Imperij proceres ipso cum Casare lugent,
Felix Imperij dextera nempe iacet.
Casaribus fidum qua portans quatuor ensem,
Cognita difficili tempore sape fuit.
Ipse suos Casar natos MAXAEMILIANVS
AVGVSTVM *patris iussit habere loco.*
Iussit, & expirans auras, tibi maxime Princeps
Iudicio laudem non simulante dedit.
Ecce, Columnaa quem Marchia stirpe creatum
Inter habet septem nunc generosa viros,

Iohan-

IOHANNES *animo suprema* GEORGIVS *agro*
Suspirat Pyladis fata doletq; sui.
Non ita Pirithoum Theseus constanter amavit,
Non ita mens vllis fratribus vna fuit.
Quid tamen illa fides, & olore nitentior albo
Candor, quid frustrà pectora iuncta iuuant?
Num minus, eripuit defunctum tempora lucis,
AVGVSTVM *terris hora suprema ducem?*
Tu columen nunc forte mane, Dux orte Colũnis:
Altera dum patriæ fracta columna iacet.
Felices populi, fortunatissima nuper
Vltima, quæ talem secla tulêre Ducem.
At nunc vt capiti iucundum lumen ademtũ est,
Ingenti trepidant subdita membra metu.
Luget Saxoniæ, luget Misneidos ora,
Et modò Tyrigetum fertilis aret ager.
Mutatis plangunt tremebundæ vestibus vrbes,
Longaq; pro serto pepla virente gerunt.
Muta sub attonitis laquearibus organa pendent,
Nec dulces aura dant subeunte sonos.
Pro benè composito læti modulamine cantus,
Morte ducis sancti, flebile templa canunt.
Et merito, quis enim pater vsquam mitior illo?
Quis culta maior relligione fuit?
Mulcebat cupidas AVGVSTI *Principis aures,*
Quæ docet ad superos, pagina sacra, viam.
Inde Deo fidens, & CHRISTI *sanguine purus,*
Christiadum larga commoda iuvit ope.
Biblia testantur, varijs duce Principe linguis
Sæpius & pulcris edita pura typis.
Testantur magno studio magnisq; profusis
Sumptibus in Christi templa retenta fide.

Aſſiduè cauit, ne vaſtaretur ab vllis
Vulpibus, aut rapidis vinea ſacra lupis.
Et ſtuduit, cunctis vt dulcia nomina Chriſti
Concordi poſſent relligione coli.
Ipſaq́; poſteritas vt eodem munere felix
Serviret ſoli tempus in omne DEO:
Hoſpitium Muſis geminum conceſſit ad vndas
Albis, & ad ripas Sala vadoſe tuas.
Moldaq́; flaventes labens vbi torquet arenas,
Quiq́; tuam Philyre lambit Eliſter humum.
Illic ingenuas immenſis ſumtibus artes
Curauit, ſancta cum pietate, coli.
Quas AVGVSTE *tuis referam mitiſſime grates*
Manibus? aut tantis præmia digna bonis?
Ipſe tuos etenim minimus licet inter alumnos,
Munera te ſtudijs apta volente tuli.
Quodq́; meum primis animum formavit ab annis
Dreſſerus culta ſedulus arte, tuum eſt.
Tu ſtudijs AVGVSTE *meis iucunda fuiſti*
Aura, ſequi Muſas te Duce dulce fuit.
Illarum cultis & fingere carmen in hortis,
Quos liquida currens irrigat Albis aqua.
Et niſi iam, patria dum publica damna dolemus,
Obſtarent votis aſpera fata meis:
Te Duce Pliſſinæ per amænas carmina ripas
Forſan odorato dulcia vere darem.
Nunc tu noſtra tua fregiſti gaudia morte,
Læta nec, vt quondam, tempora veris eunt.
Vos mecum triſtes Elegi, mea Muſa, dolete,
Hei mihi qui Princeps vos quoq́; iuvit, vbi eſt?
Sed dolor hic meus eſt: vtinam non cogeret idem
Vulnera nunc etiam publica flere dolor.

Ecquis

Ecquis enim media nescit de plebe? pium quàm
Et placidum abstulerint vltima fata Ducem.
Quàm benè regnarit florentes ille per vrbes,
Omnia constituens legibus æqua bonis.
Quàm benè subiectos populos patriamq́; bearit,
Mitis, & augusta pace serenus humum.
Nunc iacet infelix, orbataq́; Principe tanto
Luget, & in pulla patria veste sedet.
Qualiter Isacidem sua deploravit ademtum
Posteritas, omni triste sonante loco.
Talis erat luctus, cum læsus vulnere pressit
Ezechiæ pronepos sanguinolentus humum.
Iosiam Solyme Iudæaq́; tota peremtum,
Iosiam vates luxit & ipse suum.
Carmina deduxit lugubria fœmina virq́;,
Posteritasq́; memor triste revolvit opus.
Nos eadem quoq́; fata premunt, sanctissimus Heros
Teutoniæ, fato dum superante, cadit.
Augustumq́; caput, modò vertice sidera tangens
Arbor, in hoc humili nunc iacet ecce solo.
Diffugiunt trepidæ volucres, quibus illa per æstum
Vtilis, vmbrosas præbuit alta comas.
Præbuit & dulces nidos, & frondibus escam,
Cumq́; gravi gelidas depulit imbre nives.
Arboris exequias vmbris olor albus ad Albim,
Præcinctus Ruta colla virente, canit.
Ipse pater vatum tilia suspendit in alta
Et cytharas mutas, & sine voce lyram.
Attonitusq́; diu, tandem, procul ite, quid vltrà
Restat? ait, cythara Misnidos ite procul.
Venit acerba dies, Germania rumpe capillos,
AVGVSTVS *secum gaudia cuncta tulit.*

Horrida

Horrida quin etiam restare pericula terris,
Signa monent diris prodigiosa minis.
Signa dedit cœlum, ventisq́; furentibus aër,
Effusa ripis signa dedistis aquæ.
Iam video strictos enses, fremit arma, furentem
Quæ colit Ausonium turba proterua lupum.
Nec prius absistent furiæ, quam pingue piorum
Sanguine conspiciant luxuriare solum.
Forsan et ad doctas, quod abōinor, Albidos vndas
Martia pro cytharis classica pulsa frement.
Crudeliq́; fluet de cæde cruentus Elister,
Hei mihi Pierias non habiturus aquas.
Sic igitur patriam medijs Auguste relinquis
Fluctibus? ô terris dulce piumq́; caput.
Sic ait: AVGVSTOQ́; *ferens Astræa bilancem*
Et gladium versa cuspide, iusta facit.
Pax quoq;, dum mæstum circumvolat alma pheretrum,
Frigida decerpens oscula, plangit humum.
Se desolatam vocitans, se flebilis orbam
Præside, sub terras quem velit ipsa sequi.
Iamq́; sonat tellus simul &, plangoribus æther,
Saxonidos luctum nec capit ora suum.
Cum quæ sola malis stat inexpugnabilis, & nunc
CHRISTIANVM *Pietas excubat ante Ducē.*
Parcite, cur nimium luctus extenditis? inquit:
Flere licet, luctus debet habere modum.
Parcite non abijt stygias AVGVSTVS *ad vndas,*
Non illi Phlegeton ingrediendus erit.
Sed quoniam merito CHRISTI *confidere novit,*
Ipsa Ducem raptum duxit in astra fides.
Illic antiquis Heroibus additus Heros,
Percipit in Christi gaudia vera sinu.

Protinus

Protinus applaudit venienti regia coniunx,
HENRICVSq́ pia cum genitrice Pater.
Hic & avos atavosq́ videt, securaq́ carpit
Ocia, quæ nunquam tristior aura fugat.
Felix morte sua, non horrida fata timebit,
Durius his terris impositura iugum.
Sic quondam Lothus, Sodomæa gente relicta,
Non est sulphureo factus ab igne cinis.
Et prius aspexit Sanctorum funera Patrum,
Quàm periȷt pluuȷs naufragus orbis aquis.
Vos similis ne pœna premat, nunc conscia culpæ
Pectora, non vestes, scindite, quisquis ades.
Ite, preces adhibete DEO, veniamq́ rogate:
Supplicibus veniam non negat ille reis.
Avertet pœnas, & nubibus irrita sparget,
Quæ nunc incutiunt, tristia fata, minas.
Ensifer AVGVSTI per latas Filius vrbes
Ibit in aurato conspiciendus equo.
Accipientq́ Ducem gratantes vndiq́ cives,
Iusta Deo dantes munera, iusta Duci.
His dictis erecti animi, confessaq́ culpam,
Parce DEVS miseris, vox sonat vna, reis,
Parce tuis, ô parce tuis, pater optime, natis,
Cum pura maneat Relligione quies.
CHRISTIANVM *tu* CHRISTE *Ducem Dux alme guberna,*
Floreat æternis Ruta beata comis.
CHRISTIANO *dulcis succrescat et inclita proles,*
Solamen mœstæ dulce futura domus.
Hactenus hæc: AVGVSTE *vale, sanctissime Princeps,*
AEternum salve, perpetuumq́ vale.

M. Daniel Clæpius Geitanus.

Nænia
Plissinæ & Elistri

EIVSDEM ILLVSTRISSIMI HEROIS AVGVSTI, ELECTORIS SAX. LVCTVOSISSImum obitum deplorans.


Xtremum hunc Plissina mihi concede dolorē.
Principis AVGVSTI,*quo nō se nomine maior*
E VVitikindæis Heroibus extulit Heros,
Funera sunt deflenda: neget quis talia Patri?
Sic, cum flauentem subterlabère polentam,
Torganum superes fragante sapore liquorem.
Incipe, Musa fauet, fauet exoratus Apollo.
Vt subita AVGVSTVM *talami sub limine primo*
Fata subijsse Ducem, Dresdensi rumor ab arce
Extulit, & linguis hominum increbescere cepit:
Extemplo turbati animi, stetit aeer & auras
Saxo graui incendit gemitu, rupère decoras
Tyrigetæ tunicas, plebs OSTerlandica nigris
Seq; statimq; sacras inuoluit vestibus ædes:
Et nitidas diffusa comas per eburnea colla
MIsnia cæsariem euulsit, lucemq; refugit,
Fœmineoq; vlulatu mugijt atra per vmbras.
Quin ipsi Imperij Proceres, & dißita longè
Regna vicem doluère Ducis, voluentia secum
Esse eadem subeunda olim iura horrida lethi.
Quid memorem tiliasuè leues, teretesuè corymbos?
Quid Musas? paßis hæ paßim iuère capillis,
Et nablis siluère, cauis & cornibus æris.

Imprimis

Imprimis PLISSINA, *Ducis qui præterit arcem,*
Hic vbi deuexum prospectat Lipsia solem,
Ingemuit tanti spoliatus honore Parentis.
Ergo vbi muscosi progressus fornicis antro,
Vnanimem senior fratrem conuenit ELISTRVM:
Ipse caput tilia fultus, tremebundaq; saxo
Membra locans, largisq; humectans imbribus ora,
Ad consternatum sic fari cœpit amicum:
Frater, Elistrais frater genus amnibus vnde est,
Proh dolor huc viuus perueni, vt fama doceret
AVGVSTI *resonare meas fata aspera lymphas:*
Cui sociale sacrum renouanti, Naiades vna
Sex denos sedecimq; AVGVSTI *Cæsaris annos*
Optabant, veteri quibus in statione maneret.
Ipse quidem memini dudum sub pumicis antro
Fingere te numeros, qui possent ire per aures
Pacifici Herois, quàm primum Lipsidos vrbem
Coniugis Ascaniæ vultu vernante bearet:
Atq; hunc quadrupedante sono, plausuq; secundo
Vndiq; nobilium stiparet turba virorum.
Nunc spe frustrati, quoniam rapit omnia lethum,
His lacrimis grata testemur pignora mentis.
Ordiar ipse Ducis pietatem vt laudibus ornem.
Dicite vos terræ tractus, tuq; omnia lustrans
Sol radijs, quem magnatum pietate priorem
Prospicis AVGVSTO? *Vix nobis tempora dictant*
Nostra parem, prisci ingrediar sacraria secli,
Atq; Palestinas Regum lustrabo tiaras.
En autem reliquos, paucos tamen, eminet inter
IOSIAS, cui torta auro gemmisq; corona,
Fragrantes Domino nomen diffundit odores.
Hunc propter dira traiectum cuspide teli,

Tristis adhuc iacet ante pedes Iudæa, senexq́,
Ieremias mæret, tum flebile concinit omnis
Musica turba melos, Sion plangore resultat.
Nam Rex ille fuit, qui mox puerilibus annis
Auria maicrum fugit, sistensq́, Dauidis
Calle pedem, rursus sani mysteria verbi
Isacidum puris studiosè è fontibus hausit.
Nec mora, corda DEO plenus, molimine magno
Illicitos cultus, & numina vana deorum,
Perq́, nigros lucos, & per violata priorum
Crimine fana patrum, ferro conuellit & igni.
Ipse sacerdoti magnum dans ferre talentum,
Sacras instaurare iubet velociter ædes,
Et Iudæ tribubus sanctum proponere dogma.
Idem Mosaica templo interiore repertum
Legis opus, repeti multis cum millibus audit,
Et vultus stans ante DEI sic ore profatur:
Tango aras ignesq́, sacros, & fœdera firmo,
Nulla dies tectas coget me rumpere leges,
Seruabo ipse, mei seruabunt vndiq́, ciues.
Hæc prior Amonides, totoq́, loquentis ab ore
Ardor it, ordo senum sequitur, moxq́, ordo virorum
Tam dictis, paribus quàm Rege superstite factis.
Pandite nunc Patres, qui Lipsica in æde docetis,
An non IOSIAE noster fuit æmulus Heros
Relligione? sonant ter templa: grauissimus Heros
Par fuit, & talem non fert Ecclesia terris.
Namq́, probè tenuit fixum præcordibus imis
Dogma DEI, legemq́, sibi vitæ esse putauit.
Altius hæc repetam, sit fas audita referre,
Quæ reticere nefas: AVGVSTO cura parentum
Cor primum sacræ præceptis imbuit artis.

Mox

Mox & Anhaldina de stirpe GEORGIVS, *idem*
Dux magnus, Dux idem hominum Diuûmq; sacerdos
Excoluit, tum Rex Danûm de nomine CHRISTI
Nomen habens, exempla pia dedit vbera vitæ:
Vsq; adeò firmans solidæ pietatis amorem,
Vt quoq; Regali susceptam sanguine prolem
Iungeret, eiusdem & Castæ virtutis alumnam.
Nec minus Elector factus permansit auitæ
Relligionis amans, & sacra volumina legit
Assiduè, & magni imperterrita scripta LVTHERI.
En hac dote prius cum Dux instructus abiret,
Quos non deinde tulit pro relligione labores?
Quo clandestinos ardore repreßerit astus
Dogmata dogmatibus sacris inimica sonantum:
Sequana cum Rhodano, cum flaua Tibridis vnda
Audiuêre Tagus, Balearis & ostia Iberi,
Quæq; & ab infusis perceperat amnibus Albis,
Et vitreis spectârat aquis, ea reddida fluctu
AEquoreo magnum mare circumuoluere iußit.
Error ad Albiacas sensim illatabilis oras
Proditus, incautas magis & magis ibat in aures:
Quod Dux ante videns magnis mox cœtibus actis,
In medio stetit, & verbis sic cepit apertis:
Mystica turba, quid aggrederis? quid mente volutas?
Quisquis es, errorum furtim qui semina spargis,
Fastum pone, DEI manifestis nitere verbis.
Cum cœnam Domini sacras epulamur ad aras;
Pane dato corpus CHRISTI, *vinoq; cruorem,*
In cruce pro nobis effusum, sumimus ore.
CHRISTVS *adest, quia adesse potest: vult, idq; professus*
Est sapiens verbis: seruat, quia fallere nescit.
Ipse, recrudescat ne toto robore pestis,

Maturè reprimam autores, & prosequar aqua
Conuersos venia, sed non sanabile membrum
De mihi commissæ ditionis corpore scindam.
Non mea res agitur, vos cæli Numina testor,
Vna salus animæ, & CHRISTI *mihi gloria cura est.*
Nec saltem dedit ore sonos, sed & insuper illud
Testatum dextraq; sua, factisq; reliquit.
Nec prius abstinuit, quàm pressa ambage maligna
Consensum erigeret confidentissimus Heros.
Id quoq; vulgatum est: CHRISTI *implacabilis hostis*
Stirps Iudæ, stirps Iuda olim, nunc vix profuga eius
Quisquiliæ, cum Saxonicis considere vellent
Finibus: Osores CHRISTI *ferrem? Ensifer inquit,*
Non si tot possent auri argentiq; talenta
Fundere, quot globulos niuis arctans frigidus aër
Spargit, vbi hibernos sol permeat aureus orbes.
Tantam Heros curam pro relligione gerebat.
Terrarum proceres, qui templa forumq; gubernant,
Non sibi sceptra gerunt, sed Regi debita CHRISTO,
Hic summum regni caput est, Rectoribus orbis
Ad tempus vice frena sua committit, vt æquo
Iure, metuq; DEI *mortalia secula frenent.*
Id Dux AVGVSTVS *reputans, tum Principe demum*
Se pro felici fortunatoq; ferebat:
Quando suis opibus, vigilatorumq; laborum
Subsidio Domini florentia templa videret.
Vtq; hac augurijs res cepta fauentibus ire
Cresceret, & seros pariter duraret ad annos:
AEdes, quas CHRISTO *Musisq; dicauerat Heros*
MAVRICIVS, *nulli procerum virtute secundus,*
Non modo seruauit, testes vos Albidos vndas,
Teq; Salam Moldamq; voco, semperq; vocabo:
Sed quoq;

Sed quoq; docta Lycea auxit, quaq; alluit vrbem
Albis aqua iuuenis VVITIKINDI *à nomine dictam:*
Et nostras quapropter aquas plebs docta virorum
Omne datum sacrata trahit per dogmata tempus.
Hîc numerum, CHRISTO *qui seq; suosq; labores*
Deuouit, magnis opibus duplicauit, vt illo
Nomine tantum alios inter caput efferat omnes,
Quantum terrenis studijs cœlestia præstant.
Sed quoniam reliqua languente, Ecclesia languet,
Arte: nec ad duplicis præclara volumina Iuris,
Nec medicos discendum vsus, vel acuta Sophorum
Scripta habiles precijs incendere destitit annos.
Nec vates illo Duce pœnituisse laboris
Parnassus didicit, iussitq; ediscere lauros.
Hîc non indictum linquam, quod robore toto
Connixus, foris atq; domi tam voce fideli
Sacra propagarit, quam fidis dogmata scriptis.
Nam quoties pulcra Diuûm clementia prole
Saxonicas ditaret opes, ante omnia veræ
Doctrinam fidei sacris è fontibus haustam,
Excerptamq; Libro docili breuitate LVTHERI,
Instillabat vterq; Parens, moresq; regebat.
Nec dedignata est Pietas Patris inclita Natum,
Rite Catechismi qui posset doctor haberi,
Et summam fidei comprensam mente teneret.
Dux siquidem populi rerum cœlestium inanis,
Non Dux, sed sibi crux, Patriæq; inamabilis est nox.
At qui vult alijs vitæ non futilis autor
Esse piæ, cultusq; DEI: sese ipse suosq;
Exemplum primus statuat pietatis, & omnis
Subdita turba magis faciliśq; volensq; sequetur.
His actis Patriæ Dux ille salutifer oræ

Templa

Templa per & ludos, & Phœbo sacra Lycei
Agmina doctrinam iussit resonare salutis:
Doctrinam, non quam fœdi commenta Papatus
Inficerent, ratione hominum versuta probaret:
Sed quam fatidicos Reges, Sanctosq; Prophetas,
Orator magnus Patris, & bissena virorum
Lumina, & ingentem mundi sub fine LVTHERVM,
Atq; MELANCHTHONIOS *docuit vulgare libellos,*
Cum studio & paribus conspirent mentibus æquè.
Quis nescit, quanto diuina volumina sumtu,
Cæteraq; è libris cœlestibus eruta scripta
Imprimere, & seris transmittere iusserit annis?
Hinc igitur sceptris grauidi, populisq; superbi,
Hinc exempla petant Proceres: sit maxima primo:
Relligio, iustæ sit deinde scientia curæ:
Artis egens Princeps nescit sua sceptra tueri.
Hoc stirps HENRICI, *maiorum facta secuta,*
Exemplo docuit, docuit quoq; Cæsaris olim
Sermo Palatinum Comitem, sic arte magistra
Esse opus ad fasces, vt non effœta senectus,
Non curæ populi ingentes, nec blanda voluptas
Vlla moram faceret: Romani more Catonis
Cana Medusæis sua fontibus ora rigabat.
O grandis thesauri instar Dux cœlica sacro
Dogmata qui Zelo, & preciosas asserit artes.
O fortunatæ tali sub Principe gentes.
His dictis PLISSINA *silet, lacrimæq; volutæ*
Ora per & vestes humectant omnia circum.
Atq; hîc dum grandes voluentia flumina luctus
Stant spacio reticentq; breui: mecum ipse voluto
Altius & quanto iam sit ditio orba Parente,
Et qua laude DVCIS *tot dona insignia tollam,*

Iamq́; ego Iusticiæ decus, & Prudentia facta,
Et cultum Pacis studium certo ore referrem:
Maxima ni Dryadum sic intersata fuisset:
Nam quid in hoc spacio tanto te Principe dignum
Condere posse putas? ne quid inueniliter aude.
Dicenda est seges ampla rei, breue tempus, & obstat
Hîc dolor, hic parcis natura cohercita metis.
Si Musa æqua foret, septena volumina cartæ
Ante atramento versuq́; impleta rigerent,
Quam satis egregias ornares carmine dotes.
Quod si tantus amor Patrem decorare supremo
Munere, PLISSINAE *cape non ignobile textum:*
Ac include metris, noua forsan & addet ELISTER.
Nec tamen imperfectus honor, mutilumuè putandum
Carmen erit solam pietatem versibus ornans.
Christiadum Romæ cum laudat Apostolus agmen,
Non illi diuum genus, imperioq́; frementes
Ostentat Proauos, assuetaq́; castra triumphis.
Non diues Tullus, non pauperis inclita virtus
Fabricij laudata hosti laudatur amico.
Scipio nil castæ mentis, fideiq́; tenacis
Regulus, aut iuuit constantia firma Catonis.
Quid? cunctatoris Fabij prudentia, & aurum
A Curij spretum iactatur nobile rapis?
Nil horum: saltem, longè lateq́; per orbem
Romanam volitare fidem, cunctisq́; probari,
Fulgor Euangelij talem quod compleat vrbem.
Quem veré sancta pietate excellere dicis,
Hunc simul & reliquis virtutum laudibus ornas.
Dixit, & extemplo flauis se immiscuit vndis.
Interea cælum aspiciens Philyræus ELISTER,
Tales horribili rumpebat murmure questus:

Sic heu, ſic Pater ille DEûm, ſic maximus ille
Rex Regum ſiuit minitantem dira Leonem,
Hoc irarum omnes effundere tempore flammas:
Vt princeps fluuiorum, AVGVSTI *funera cernens,*
Februa ſubiectis indiceret amnibus Albis.
Spargite nunc mæſtos Philyrëia flumina queſtus,
Et ſimul vndantes in prata reuoluite fluctus.
Scilicet hos propter caſus, cum ſpicea ſtaret
Meſſis agris æſtate noua, rupto obice latè
Corripuêre vndæ ſata læta, boumq́; labores.
Hos obitus, has ecce vices in ſtirpe futuras
Saxonica vaſtis ſtrepuêre tumoribus amnes.
Vix maculoſa quater Lunæ pleno orbita vultu
Fulſit, eam aduerſa compleuit lampade Titan:
Ter tamen hoc ſpacio ſocialia gaudia lecti
Saxoniæ generoſa domus, bis funera vidit,
Vidit, & humanis didicit diffidere rebus.
Sic quoq; FRIDRICI *prius Electoris, aperta*
Sub quo Relligio, cum pulcra efflorvit arte,
Atra tumeſcentes ſonuerunt funera riui.
Spargite nunc mæſtos Philyrëia flumina queſtus.
En DEVS ipſe polo ſtatuebat triſte ſereno
Omen, & obſcuro ſignabat crine Cometæ
Ante locum Phœbo, quem curru præpete tangens
Tale repentinis firmaret cladibus omen.
Fax hæc ſe tollens in aquoſo Piſce, ſenerum
Per Cetum tendebat iter, tum vindice triſtem
Falce Senem flabris Auſtri linquebat, ad Arcton
Parrhaſiam nitidis Phryxæi à cornibus agni
Tranſuerſum carpebat iter, ſub Pleiade donec
Euaneſcebat, terraſq́; infecta tenebat.
Hinc autumno orta poſt plauſtra cadentia Solis

Pleiade

Pleiade luctus erat, deerit nec Pleiade fluctus
Mœrorum surgente nouo cum lumine veris.
Spargite nunc mœstos Philyrëia flumina questus.
Sol quoq; mundi oculus, lucisq; & temporis autor,
Cum detrita recens, Danicoq; tepentia ab ictu,
A morte exacui tela imprudente videret,
Et generosa animæ rursus cita damna parari:
Nescio quo præter solitum sua lumina nimbo
Inuoluit, velut æterna velit omnia nocte
Condere, & hunc mortis nequeat spectare furorem.
Spargite nunc mœstos Philyrëia flumina questus.
Parca proterua quid aggrederis? quo rite vocari
Parca queas, huic parce animæ, Ducis illa Patrisq;
Est Patriæ & fulcri Imperij, nunc parcere tempus.
Nil Electoralis honos, nil splendor auitus
Profuerit? nil dextra potens, spectataq; virtus?
O Pietas fer opem, cultoremq; eripe morti.
Sufficiant extincta piæ præcordia nuper
Coniugis, excuset nuper data dextra fidesq;
Ascaniæ Nymphæ, quæ fata minantia cernens,
Quas non sancta preces fundit? stant lumina fletu.
Respice tot planctus, tot vota precantia Nati,
Parca precor miserere, potes producere ceptum
Longius: At Clotho nec dicta nec icta moratur
Pacta, stat ex Diuûm iussis abrumpere torta
Fila diu, pœnisq; Ducem prohibere futuris.
Tunc trepidasse arcem, medicaq; potentibus arte
Defecisse viris vsum, syluasq; rudentum
Obstupuisse ferunt immani fauce ferarum,
Concussas cautes, perq; alta silentia noctis
Sic vlulatu Albim pulsasse, boantia saxa:
Occidit heu Dux, occidit heu decus, heu mihi quantum

MISNIA *præsidium, et quantum* GERMANIA *perdis,*
Spargite nunc mœstos Philyrëia flumina questus.
Sed quis fixa valet fatorum infringere iura?
Nunc quia surreptus Pater est, cum flumine largo
Labra rigauerimus, verbis factisq; dolorem
Testati, quo porro animos solabimur ore?
Traxisti celebrem longo iam tempore vitam,
Inclite Dux, nomenq; Electorale tulisti.
Vidisti mala mixta bonis, Mauortia Fratris
Factaq; virtutemq;, necisq; ignobile vulnus.
Ter quoq; Cæsareos obitus, bustata Parentum,
Et Rutam sancti Imperij mandante Senatu,
Iussus es aduersis circumuallare maniplis,
Vidisti tot doctorum cecidisse virorum
Lumina, diuini composta MELANCHTHONIS *ossa,*
Et CAMERARIACAM, *ne cætera persequar, vrnam.*
Imprimis turbata graui delubra tumultu
Pectus commouêre tuum: sed idem illa vicissim
Demulsêre, tuis cum curis nempe videres
Sincera rursus fidei ratione potiri.
Quid quod CHRISTIANO *Sophiam de sanguine iungi*
Brandeburgensi vidisti lætus, & inde
Vultus ante tuos numerosam ludere prolem,
Spem generis, canæ solamen dulce senectæ.
Quid memorem Natas? æquè te sospite leges,
Quæ talami subiêre Procis illustribus auctæ.
Et ni fata Deûm, ni mors truculenta tulisset
Spectatæ fidei sociam, non debile corpus
Priscæ coëgisset renouare incendia flammæ.
Quis per tot tantosq; volutans pectora casus,
Inuideat, Dux Magne, tibi, te pace potiri
Iam tandem, & cœlo misceri Regibus altis?

Nunc

Nunc tua terrenis defuncta laboribus aura
Astra adijt, niuea cui Coniunx obuia veste
ANNA faces prisci instaurauit amoris, & vna
Fortunatorum penetralibus intulit altis
Heroum: salue aeternum nitidi incola caeli,
AEternumq; vale mundum Dux clare per omnem.
Spargite nunc maestos Philyrëia flumina questus.
Quod terris superest, exangue gementia corpus
Plaustra metallifera Friberga ad moenia portant.
It PIETAS Ducis ante pedes, planctu aethera foedans,
Imbre solum, pectus pugnis, atq; vnguibus ora.
Ad latus incedit lacrimans ASTRAEA, *poloq;*
Fert oculos, terris, quasi nunc paret illa, relictis,
Rursus flammantis remeare sub atria caeli.
Oppositum porro PRVDENTIA *cana feretrum*
Vendicat, & casus peragens secum ante futuros,
Hoc magis atq; magis querula replet omnia voce.
Hinc subit EVPHROSYNE, *cui Palladis hactenus arbor,*
Palmaq; obumbrarat viridanti lumina ramo:
Nunc neq; nidori frondis, frontisuè nitori
Parcere scit, palmisq; comas euellit vtrisq;,
Et pro ramo oleae feralis ligna cupressus
Substituit, subitura suo custode sepulchrum.
Has circa Septemq; virûm, Procerumq; Ducumq;,
Et Comitum, atq; equitum graue circumfunditur agmen,
Exin nobiliumq;, ignobiliumq; virorum
Insequitur nimbus, memoret quis singula versu?
Heroinarumue choros, longasq; querelas,
Lugubresuè habitus? velut atris aëra pannis
Prima acies fuscat, sic albis aëra pallis
Foemineae facies, ceu puro lumine, lustrant.
Spargite nunc maestos Philyrëia flumina questus.

Iamq́; ministerium ferme exequiale peractum est,
Imponunt tumulo tali cum carmine marmor:
AVGVSTVS *Patriæ Pater, & nitidißima stirpis*
Gloria, MAVRICII *germanus, filius acer*
Mechelburgiacæ Catharinæ & Saxonis HENRICI,
Indelibatæ fidum Pietatis asylum,
Ensifer & fulcrum Imperij, sanctæq́; Sacerdos
Iustitiæ, pacis custos, atq́; vmbra Scholarum:
Tot regnis oracli instar, quorum optima quæq́;
Eius amicitiam studio flagrante petebant:
AEre potens, armisq́; fremens, murisq́; superbis
Magnanimi populi, trux hosti terror & horror:
Ille Heros, nulli felici sorte secundus,
Conditur hîc, vitæ bis sex nunc lustra peregit,
Tres fuit Elector ter denosq́; insuper annos.
IOSIAE sacris è Regibus, eq́; cateruis
Cæsareis par AVGVSTO, *atq́; è gente proquinqua*
FRIDRICO, *sub quo verbum cæleste refulsit.*
Huîc prior ANNA fuit regalis originis vxor,
Quæ nouies Natos peperit, bis terq́; Puellas
Indolis egregiæ: De Natis vnicus ille
CHRISTIANVS *superest, quem sceptris fata sacrarunt.*
Altera forma, altusq́; nitens virtutibus HAGNES
Nuper ab Ascanio ducta est vix stemmate Nympha.
Mille & sexcentos post nati secula CHRISTI,
(Deme tamen quinq́; atq́; decem) Sol egerat annos,
Cum Dresdæ placidè moritur morbi impete Princeps,
Et desiderium post se commune relinquit.
Heu pietas, heu nil tot præstantißima dona
Profuerint: Vita aura fugit, moxq́; atra subit mors.
Fer violas huc veris opes, fer candida spargam
Lilia mixta rosis immortaliq́; Amarantho.

Dum

Dum Pietas terras, Aſtraaq; virgo tenebit,
Et Pax, & pacis florens Muſa aurea regno:
AVGVSTI *tot dona vehent ad ſidera vates.*
Spargite nunc mœſtos Philyrëia flumina queſtus.
Heu quid nunc concuſsus agam? quam flebile fatum
Aſtra parant, aër, vnda, & lux qualibet effert
Argumenta nouis homines terrentia monſtris.
Fatale omen habet nomen plerunq; diei,
Quo precioſæ animæ corpus mortale relinquunt,
Quin obitus ipſi pœna & ſunt ominis inſtar.
LVTHERO *moriente die Conſtantis Oliuæ,*
Pax conſtans liquidas mox omnis abibat in auras.
AVGVSTO *Duce pacifico ſub veſpere ſero*
EVPHROSYNES *ſubeunte necē, quid fata mouebunt?*
Scilicet hæc pacis, cicumſpectaq; Sacerdos
Lætitiæ eſt, illa quid deficiente ſequetur?
Morbi, bella, fames, & lamentabile tempus.
Spargite nunc mœſtos Philyrëia flumina queſtus.
Non mundi fortunam aliam promittere nobis
Naturæ valet ordo tenax, qui vilibus ortum
Principijs tollit: mox pleno vbi flore refulſit
Rurſus idem tacito tentat conuellere nixu.
Sic quoq; vernantis naſcentia corpora mundi
Enituêre prius: fatis nunc vſa ſiniſtris
In peius reuoluta cadunt, retroq; feruntur.
Nec minus Imperij Romani ferrea quondam
Maieſtas inuicta ſtetit, venit hora ſupremis
Nixa pedum vt digitis limo crepitante fatiſcat.
Spargite nunc mœſtos Philyrëiaflumina queſtus.

Consultasse simul, mundumne excindere flammis,
Aut alijs mallent terras immittere pœnis.
Viuite Concilij memores istius, & altis
Figite, Mortales, animis: sex namq; priora
Orbis ab exorsu non fortunata fuisse,
Historiæ veteris monumenta diserta loquuntur.
Spargite nunc mœstos Philyrëia flumina questus.
Mitto crinitas (quia facta est mentio) flammas,
O miseris septem modo busta viralia terris,
Si foret id fixum fatis, nec plura notarent,
Spargite nunc mœstos Phylirëia flumina questus
Nec fluuios repetam, quos ne quis dicere falsos,
Audeat effuso transgressos vortice ripas:
Post Noribergensis Pegnesi vasta fluenta
Marchio bis cincta docuit Mauortius vrbe.
Quin etiam Galli Insubres populantis, atroces
Aggeribus ruptis monuêre instare tumultus,
Et cædes turmis, & Gallo vincla tulêre.
Idq; vtinam memori tenuissent mente repostum
Agricolæ, non tot Salisburgensibus oris,
Littoribusq; Istri, Turingiq; vbere gleba
Semisepulta virum iactaret corpora vomer.
Plisna decus Philyræ, & nostris carissime Nymphis,
Nunc æstus memor elapsi, quo pronus in amplos
Migrabat Neptunus agros, Cereremq; iubebat
Humida regna pati, & culmos considere in vndas:
Quam metuo ne forte tuo quoq; gurgite posthac
Armaq;, castrorumq; tubas, & cæsa volutes
Corpora, desuetaq; redundent sanguine ripæ.
Spargite nunc mœstos Philyrëia flumina questus.
Vt ferrugineus mirando robore magnes
Ferrum grande trahit: Sic labes improba pœnas.

Ergo

Ergo velut crescunt hodie longo ordine passim
Luxuriosa Venus, fœnusq́; & fastus & astus:
Sic rabiem exacuunt Superûm, sic agmine magno
Et cumulant diras, maturantq́; vndiq́; pœnas.
Spargite nunc mœstos Philyrëia flumina questus.
Dum loquor, ipsa fidem facit experientia dictis,
Agmen equûm, turmamq́; virûm, fractumq́; tubarum
Audimus fremitum, Mars arma & suscitat iras,
Hîc trux Hispanus, mouet illic Gallia bellum,
Parte alia locat insidias, aut Præsul in arce
Fulminat Ausonia, iamq́; ense recludere collum
Christiadum, iam iamq́; labris haurire videtur
Spumantem pateram, & pleno se pascere tabo:
Vsq́; Lutherano sitiunt ibi sanguine fauces.
Quis scit an & paribus telis concurrere tela
Fata vetent? quis scit tanto num cardine rerum
Lunatis cesset nobis insurgere signis
Turca ferox, nulli parcens hominumq́; Deûmq́;?
Spargite nunc mœstos Philyrëia flumina questus.
Teutoniæ hunc dominum fore, post cunabula CHRISTI
Mille & completis sexcentis insuper annis,
Isennacensis cecinit longè ante Sacerdos.
Nosq́; ea contigimus fatali tempora cursu,
Quæ sunt terrificis olim signata querelis
LVtheriq́; Patris, Præceptorisq́; Philippi,
Immo vbi prisca simul conspirant omina vatum,
Spargite nunc mœstos Phylirëia flumina questus.
Stella Medusai capitis, quæ noxia regnis
Fata affers, dubiasq́; vices: iam desuper vrbi
Romæ, & Romanis incumbis vertice [illegible]

Sed quid ego hoc multis? fateor ceruicibus instant
Omina dira modis animos turbantia miris:
Quid tamen inceptem? me præcipitabo sub amnem?
At non cæruleas refugit Rex fluminis vndas.
Contundam saxo caput hoc? capitalibus illud
Est interdictum cruciatibus. Ergo recidam
Ense caput. Quid? Si mox fata maligna referrent
Consilium in melius, remeare liceret ad auras?
Haud spes est vitæ iugulo semel vlla resecto.
Ibo & fletu vndas, fremitu cœlum omne ciebo:
Verum nec fremitus, nec fletus fata morantur.
Quare aut me fulmen premet? aut mihi terra dehiscet?
Dij melius, nos haud tales sanctissima CHRISTO
Promisit Pietas, duo dum modo dona supersunt,
Votaq́, Iusticiaq́ potens, Pietateq́ Princeps,
Non moriar, sed prisca lubens mihi regna tenebo.
Sistite nunc fletus, animosq́ resumite latos
Flumina, postremi nunc lux nunc aurea secli
CHRISTIANVS *(numeris iam nunc assuesce vocari,*
Elector CHRISTIANE*, precor) ditione potitur.*
Exultate Enses, arces, vrbesq́ paternæ,
Vos capit haud veterum Princeps indignus auorum.
Ite Sacerdotes pro nostri thura salute
Ferte Ducis, gaudete Scholæ, gaudete Lycea,
O quo vos Heros, quo complectetur amore.
Exultote domus, fora, flumina plaudite, & omnis
Incola, & Arctous sua gaudia personet Albis.
Aspice vt incedit vultu CHRISTIANVS *amano*
Fræna manu, gladiosq́ ferens, rutæq́ coronam:
Aspic non veterum tam agnoscimus ora Parentum,
Quam preciosa simul virtutis dona Paternæ.
Aspice vt ingenuam commendet gratia frontem,


Dicta

Dicta fides, mores grauitas, facta acria cultus
Iustitiæ, & pietatis honor, clementia mentem.
Indolis Heroæ namq́; illi in origine prima
Vis impressa fuit: cui lux Pietatis auitæ
Ornamentum ingens cura vtriusq́; Parentis
Addidit, & reliquis etiam virtutibus auxit.
Nec mora, vt ancipites pensare examine causas
Disceret, atq; olim populos sine fraude tueri:
Ipse, virûm docto stipatus flore, theatro,
Ex quo suppositas decreta feruntur in vrbes,
Assedit, magnumq́; Patris vice munus obiuit.
O quoties prudens per se, prudentior inde
Euasit Princeps: plus mansuetudine vidit
Regna ministrari, rigidis quam iuris habenis.
Etsi igitur pleno sors illatabilis æstu
Imminet: illa Ducis Pietas, prudentia, robur,
Iustitia atq; fides, mentem formidine soluit,
Et triste exitium meditantia fata repellit.
O saltem hunc paribus saltem ne crimina damnis
Immergant populi: sceleris crescente furore
Vltrices furias simul accelerare necesse est;
Quæ sæpe insontem reproba cum gente fatigant.
Ergo si fidas vnquam sors aspera vobis
Extorsit voces, nunc nunc insurgite votis
Saxonicæ gentes, saltem, mihi credite, saltem
Supplicibus votis fatorum flectitur ordo.
Maxime Christiadum Rector, quo præside nunquam
Res ego Saxoniæ victas, aut templa videbo:
Cernis vt insultans nostris regionibus hostis
Tercentum [illegible]

Excute membra, tuos, Pater optime, respice natos,
Cumq; omni macula pœnas auerte futuras.
CHRISTE, *ministerio verbi qui colligis agmen*
Christiadum terris, nunc hunc tam mente fideq;
Deuotum, Rex magne, tibi quam corpore, & ipso
Nomine, CHRISTIANVM *solio præponis auito:*
Sit lætum hoc, felixq; precor, sit candidus illi
Relligionis honor, sit docta scientia curæ.
Hoc Duce iura forum, pax oppida & incolat ædes,
Tectaq; distendat pleno bona copia cornu.
Nec tu nec grauidum septemplice munere FLAMEN,
Vsquam absis: Tibi se Dux consecrat inclitus vni,
Imperioq; tuo & ductu parere paratus,
Quod votis itidem populi communibus optant.
Sit quoq; Dux posthac Pietas, latus vndiq; stipet
Virtutum chorus, & fortuna serena secundet
Singula cepta, dolus visq; euanescat in auras.
Nullus adulator, nec sæua calumnia mentem
Egregiam frangat, nec largius hausta meri uis
Perturbet, sis consilij fax praua semper;
Da centum felix cum Coniuge transigat annos.
Vos etiam Angelici Diuûmq; hominumq; ministri,
Fas est Saxonicos, ceu vallo, cingere fines,
CHRISTIANVMq; *Ducem, Duce Christianoq; profectos*
Incolumes seros pariter defendere in annos.
Vix ea dicta dedit, cum puro sidera cœlo
Processêre, bonis firmaruntq; omnia signis.
Applausêre amnes, vicinaq; prata, feraxq;
Hæc tilia assonuit: Nostris DEVS annue votis,
Si Patris ingreditur Natus vestigia, fat fit.
At DAFnis, clariæ DAFnis Dux impiger arcis,
Vt Nymphæ captum flammis vnius Iholam

Vidit

Vidit propter aquas residere, & cuncta notare:
Haud mora, continuo Cedris incidere iussit.
Hîc tamen inserui pro me pia vota, meosq;:
Quod te per Natum, cuius mea crimina propter
Colle in oliuifero rorârunt sanguine flores,
Oro DEVS, fac Mysenis ope Flaminis oris
Principe CHRISTIANO, *multos Pater optimus annos*
Intemerata sonet constanti dogmata voce,
Et tua priuatis assistat gratia tectis.
Me quoq; da tali sub tegmine Principis artes
Illustris Sophiæ, & culta dona aurea linguæ
Discere, & ad laudesq; tuas, animæq; salutem,
Ac incrementum in nostris regionibus vti.
Te sine laus artis fraus est, te præside gazas
Nobilitate sua longè supereminet orbis.
Iam mista pauido vetat hora angustia luctu
Verba redundantis resecare superflua Musæ:
Vix hæc hiberni, vix hæc ad fluminis amnes
Accepta, hiberni conscripsi ad luminis ignes.
Sit pietas hæc grata tuis modo manibus, Heros,
Quo Duce ad Albiacas libaui candidus vndas
Nectar & Ambrosium, fido præbente DRESERO:
Nec minus hîc illum miror fulcimine nixus
Præsidioq; Viri, qui ceu fert Diuite sese
Nomine, sic meritis illud locupletibus implet.
Hæc igitur cecini: serorum turba nepotum
Audiat, & memori decoret facta inclita laude.



M. Iohannes Hantschmannus.



Lipsiæ,

IMPRIMEBAT IOHANNES STEINMAN,

ANNO

M. D. LXXXVI.

